Les Géoponiques

133. **[CASSIANUS BASSUS]. Constantini Cæsaris Selectarum præceptionum de agricultura.** Libri viginti. Jano Cornario medico interprete. Lugduni, Apud Seb. Gryphium, 1541, **in-12** de 349-(17) pp. ; cartonnage début XIXe, pièce de titre en basane sur le dos. –Petite mouillure brune dans la marge sup. d'une dizaine de ff., mouillure claire dans la marge inf. des 17 derniers ff., ex-libris manuscrits à la plume de l'époque dans la marge inf. du titre et au verso du dernier f. (raturé). –Très bon exemplaire.

3e édition en latin (1ère en latin : 1538 ; 1ère édition en grec : 1539). Rare.

Baudrier VIII : 143 ; Von Gultligen 596 ; Simon, Bibliotheca Bacchica II-p. 48.

Première édition imprimée en France de cette célèbre encyclopédie rurale.

« Compilation de connaissances agricoles, réalisée vers 950 après J.-C., à la demande de l'Empereur byzantin Constantin VII Porphyrogénète, dans le cadre d'un gigantesque travail encyclopédique. » (J. Robinson, Encycl. du vin p. 466).

« Le livre III de ce traité d'agriculture est consacré aux travaux des champs et des vignobles. Le livre IV traite de la vigne, de ses différentes espèces et des différentes manières de la bien cultiver. Le livre VI décrit en détail la façon dont les tonneaux doivent être fabriqués et réparés, ainsi que le travail des caves et les opérations de la vendange. Le livre VII décrit les différents genres de vin, la façon de déguster le vin, de reconnaître les vins « mouillés », de remédier et de prévoir les différentes maladies auxquelles le vin peut être sujet, comment préparer le vin destiné à être expédié outre-mer, comment boire, en évitant l'ivresse ; et le livre VIII donne une liste des vins composés et médicinaux, ainsi que les cas les plus usuels pour lesquels l'usage de ces différents vins était recommandé ; il traite également du vinaigre. » (Simon, Bibliotheca Bacchica II-p. 47 (1ère édition grecque)).

1 500 €

Di
Tommaso Fr̃o Bernardi

Brancoli

Auteur : Geoponica.

CONSTAN-
TINI CAESA-
RIS SELECTARVM
PRAECEPTIO-
NVM
DE
AGRICVLTV-
RA LIBRI VI-
GINTI.

Iano Cornario Medico
interprete.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,
1541.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/constantinicaesa00unse

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO, D. VVOLphango Comiti Stalbergen. ac Vuernigeroden. præpoſito eccleſiæ Halberſtaten. Ianus Cornarius Medicus Phyſicus S. D.

AGRICVLTVRAE *ſtudium ut rebus mortalium utilißimum, & uitæ degendæ neceſſarium, non utilitatis tantum immenſæ illius, uerum etiã uoluptatis ac delectationis inenarrabilis gratia, ita ſemper à ſummis uiris,* Regibus, Principibus *ac* Imperatoribus, *ut omnium ſtudiorum honeſtißimum excultum eſt, ſic certatim à maximis* Philoſophis *prædicatum, ut ſummæ illius ac omnibus expetitæ felicitatis humanæ portionem non minimam in ea ſitam eſſe pleriq; putarint, & ut uerißime ceciniße eximius poëta creditus ſit:*

O᷈ fortunatos nimium ſua ſi bona norint
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem uictum iuſtißima tellus.

Neque autem referre apud celſitudinem tuam illuſtris comes ac domine uolo, quot præſtantißimi uiri eam ſuis manibus exercuerint, quot ſapientißimi uiri de ea ſcripſerint. Nam & Romana & Græca hiſtoria innumeris clarorum etiam triumphis agricolarum exemplis ſcatet. Et à M. Varrone *ac* Iunio Columella *ad nonaginta ferè autores recenſentur, qui Græca & Latina item'que punica lingua, rei* Ruſticæ *præcepta tradidere. De hoc apud* C. T.

ſilendum mihi non putaui, quod neſcio quibus moribus inductis, laudatiſſimũ quondam agricolationis ſtudiũ, et præſertim opus ipſum aut potius opera, uiliſſima hodie iudicatur, neq; abiectius hominũ genus aliud eſt, quàm quod ruri in caſis degit, quod agrum colit, & quod reliquarũ illius partium curam gerit. An uero opum potentia, & urbium ſplendor ac celebritas, hanc honeſtiſſ. ſtudij uilitatẽ inuexerint, haud facile ſit pronunciare. Certe ſi deſidia eſt noſtra, qua omnes ex natura procliues ſumus à labore ad libidinem ac uoluptatem, haud dubie ſtupidum eſt ſenſuũ noſtrorum iudicium, quaſcunq; tandem uoluptates ſequãtur, ueris beatì ruris delicijs, imò copia & opibus inemptis neglectis. Cæterum ut patienter feramus uulgus hominum in hac parte non ſatis iudicij habere, Nimirum quòd omnem quæſtum quantumuis ſordidum, ex quibuslibet fabrilibus mechanicis, ſtatarijs ac ſellularijs artibus, honeſtiorem eo qui ex agricultura prouenit, putat: Liberalium certe artiũ ſectatores non oportuit ſic cæcutire, ut non apertis oculis rem cognitam palàm confiterentur, nullum ſtudij genus honeſtius, ſplendidius, ac naturæ propinquius eſſe. Imò nullũ quæſtum ingenuum hominem magis decere, quàm qui ex rei ruſticæ cura acquiritur. Sed quantum hac parte etiam hi præſtent, aut quanti honeſtiſſ. ſtudium faciant, uel unum argumentum ſatis declarat, Quòd pauciſſimi ex eis hanc diuinæ omnium rerum naturæ cognitionem, quam res ruſtica in ſe complectitur, habeant. Multi uero ne nomina quidem cognitarum à ſe rerum certo tenent. Condonemus autem & hanc rerum ignorantiam, his qui mentibus à uiſibilium mundi opum irritamẽtis, ad creatorem omnium

deum

deum optimum maximum ſublatis,in diuinæ maieſtatis contemplatione toti hærent. Condonemus item his qui de rerum proprietate ac uſu fructu litigantes, nunquam ad earum cognitionem ac uerum uſum ipſi perueniunt. Qui philoſophiæ ac medicinæ nomina dederunt,non ſine ſumma turpitudine, ac detrimento non minore, laudatiſsimæ agricolationis eius'que partium negligentes eſſe poſſunt. Niſi nō turpe eſt aliquem profiteri id quod neſcit,& niſi utilitatem & commodum ex his recte ſperamus, qui ipſi incommodiſsime ac infeliciſsime in his ſtudijs,quorum uſus & utilitas ab ipſis expetitur,ſunt uerſati. Atque hic rogo an nō infeliciſsime in philoſophiæ ac medicinæ ſtudijs uerſatus ſit,qui rei ruſticæ,agrariæ,hortulanæ,pecorariæ, ac piſcinariæ ignarus ſit,in quibus ferè tota inferiorum corporum natura continetur', de qua utique nobis philoſophus phyſicus ac medicus conſulendus erit? Quòd ſi reſpondeatur,facultatem ac uires rerum, non etiam tractatum ac curam ab illis requiri: ualde ſanè timeo,ut aliquid ſani in uirium ipſarum rerum cognitione aſſequantur, quibus res ipſæ ignotæ ſint,quum plurimæ ſint res, quarum uires non aliunde nobis quàm ex uiſu, tractatu,cura ac uſu,melius innoteſcant. Quare mihi quidem optimus medicus ac philoſophus iudicatur, qui plurimarum rerum cognitionem ipſo rerum uſu ac tractatu aſſequutus eſt. Aſſequendi autem copia non maior aliunde quàm ex agricultura & rei ruſticæ ſcriptoribus nobis ſuppeditatur. Circa quos uerſandos quum plerique omnes fuerimus ferè negligentiores,factum eſt ut olera & legumina quædam nobis in quotidiano uſu familiaria, imò panis

is quo quotidie alimur, non ſint nobis ſatis nota, quando certum eſt & tritici, & ſiliginis, & farris, chondri'que ac alicæ, bromi, tragi, ægilopis, ptiſanæ, erui, piſi, fabæ, & multarum aliarum rerum uocabula ac appellationes, non ſuis rebus quibus ab initio impoſitæ ſunt, hodie recte accommodari. Quæ ſane cauſa fuerunt mihi, hos uiginti de agricultura libros Græcos à Cõſtantino Cæſare ſcriptos, per me in linguam Latinam conuerſos, tuo imprimis illuſtris comes nomine præfulgente ædendi. Nam quum ſingulari quadam naturæ tuæ bonitate ad honeſta ſtudia iuuanda ac prouehenda inclinatus ſis, meq́; iſtorum ſtudiorum nomine non ſemel quàm familiariſsime in aula tua amplexus ſis, uiſum eſt mihi hoc modo, & animum & uoluntatem erga te meã uiciſsim declarare, & magnificentiam heroici illius pectoris tui ſtudioſis notam ac teſtatam facere. Et erunt ſpero non pauci qui eximium ac utiliſsimum per ſe opus, tuo amplius nomini inſcriptum, auidius excipient, & charius habebunt, non tam quòd à maximo imperatore Conſtantino primum ſit conſcriptum & inuulgatum, quàm quòd in celſitudinis tuæ gratiam à me tandem poſt tot annos quibus delituit, Latinis hominibus eſt communicatum. Siue autem ipſe Conſtantinus Cæſar hos libros congeſsit, uelut præfatio ἀνώνυμος operi præmiſſa teſtatur; ſiue ille ipſe qui præfationem ſcripſit operis autor itidem fuit, atque hoc modo Cæſari nuncupare uoluit, mihi ſanè iuxta præfationis teſtimonium, ad ipſum Conſtantinum Cæſarem hi libri referendi uidentur, & propterea exemplar Græcum, quod unicum habui à ueteri amico meo doctiſsimo uiro Mattheo Aurogallo Bohemo mihi ſuppeditatum:

tatum: quum omni inſcriptione careret, & uago ac incerto autore oberraret, & haud dubie deſpicatus ob id eſſet, ad proprium dominum uelut fugitiuum reduxi, & uelut mancipatum in libertatem aſſerui, atque autoris ſui nomen ipſi publice præfixi. Fuit autem hic Conſtantinus quartus cognomento Pogonatus Cõſtantinopolitanus Imperator. Qui multis ſplendidis uictorijs terra ac mari potitus, & Saracenis Arabibus deuictis, pacem ubique firmauit, & Philoſophiæ ac rhetorices ſtudia ferè deperdita, aliaſque bonas artes renouauit, atque inter cætera, hos de agricultura libros ex Græcis ac Latinis aliquot ſcriptoribus collegit ac contraxit. Inſuperq; Synodum Conſtantinopolitanam congregauit. Non dubium eſt autem quin hi utiliſſimi libri omnibus rei literariæ ſtudioſis eo gratiores futuri ſunt, quòd ex tot ſcriptoribus Græcis, qui & hic laudantur, & à M. Varrone ac Columella nominantur, nullus ad nos extet, quem aut uidiſſe, aut de quo ſaltem audiſſe mihi contigiſſet. Neque enim ſcio quid arcæ quorundam concluſum teneant, aut quid bibliothecæ, ſeu potius bibliotaphia aliquorum condant, blattis ac tineis quàm publicæ bonorum ſtudiorum utilitati benigniores. Accedit inſuper ad hanc gratiam qua ſe preciosiſſimi hi libri omnibus commendant, quòd multa ſunt in ipſis, unde apud Latinos rei ruſticæ autores, Varronem dico, Catonem, Columellam, Palladium, ac ipſum adeo Plinium, innumerabiles loci aut omnino luxati reponi poſſunt, aut obſcurati intelligi. Sicut ediuerſo, multos locos corruptos ac uitiatos in Græco exemplari, eorundem autorum ope ipſi Conſtantino

reſtitui ac redintegraui. Atque ex his omnibus intelligent credo ſtudioſi beneficium celſitudinis tuæ, cuius nomine autoritate'que ac gratia hoc opus in publicum prodit, & cui ſanè ſtudiorum meorum operas libenter debeo, & ſimul me ipſum diligenter com mendo. Optime Vale Illuſtris Here. Stalbergæ. Idib. Feb. Anno M. D. XXXVII.

CONSTAN-TINI CAESARIS SE-LECTARVM PRAECE-PTIONVM DE AGRI-CVLTVRA LI-BRI XX.

Iano Cornario Medico Phyſico interprete.

*

Præfatio innominati cuiuſdam, Conſtanti nopolitani ut apparet, qui hos libros ad Conſtantinũ Cæſarem autorem refert.

M*VLTIS quidem & alijs regibus bonis Magnifica hæc urbs exornata eſt, horumq; egregia facta & uirtutes, uelut quoſdam multorum talentorum theſauros, in ſinum ſuum abdidit. Te uerò ullum aliquem meliorem unquam habuiſſe haudquaquam confiteri poterit, neq; maiora ulla aliqua quàm regni tui egregia facta oſtenderit. Tu enim aliorum principum ſtudia parua exiſtimans, aduerſus ſolum illum pri-*

mum Chriſtianorum regem, Conſtantinum dico, huius urbis conditorem & conſeruatorem, certamen inſtituiſti, quem etiam multo ſpatio in medio relicto, & optimis factis, & trophæis, & uictorijs, ac reliquis præclare ac fortiter actis anteuertiſti. Et quæ quidem aut ſubditis benefaciendo, aut hoſtes profligādo perpetraſti, longum eſſet recenſere, multumq; tempus & elaboratiſsimam orationē requirant, imò etiā quæ circa hæc in cōmuni uita utilia, et omnibus deinde ad uitam uenturis mortalibus cōmodatura elaboras. Primum enim philoſophiam & Rhetoricen iam deperditas, & ad immenſam obliuionis profunditatem demerſas, mirabili artificio ac prudentia retraxiſti, robuſta dextera tua illis porrecta. Deinde uerò etiam alias omnes ſcientias ac artes renouaſti. Poſtremū autē gnarus in tria hæc politiam eſſe diuiſam, Militiam inquam, Sacerdotium & Agriculturam, non minimam curā circa hanc poſtremam partē adhibuiſti, quæ humanā uitam maxime cōſeruare cognoſcitur. Vnde ſanè ea quæ à diuerſis ueteribus multa diligentia ac experientia inuenta ſunt: & de Agricultura, & plantarum cura, tēporeq; ac modo, itemq; loco ſingulis congruente, amplius autem & de aquæ inueſtigatione, ædificiorumq; cōſtructione, & in quibus locis hæc facere oporteat, & ad quam cœli partem uergere, & quo modo, & alia multa pariter ac magna, naturæ tuæ excellentis magnitudine, & animi altitudine in unum colligēs, opus cōmunis utilitatis publicæ omnibus propoſuiſti. Etenim mox ubi quis hos tuos cōmētarios cōtigerit, ea quæ ſuā ipſius uitam cōſtituant, exacte cōſpiciet, et cōmoda et neceſſaria, & omnino ea ex quibus humana uita conſtat, & in

& in quibus omne ſtudium ſuum ponit, cum omni ornatu ac ordine contẽplabitur. Neq; uerò ſolum neceſſaria, ſed & ſuperflua, et ad oculorũ ac olfactus uoluptatẽ ſolam cõferentia uidebit. Quũ enim ſis honeſtatis amator, aut potius, ſi uerũ dicere oportet, hominum amator, omni modo, omniq́; ſtudio ea quæ utilia ſunt, coaceruas, ſubditis tuis ſemper id quod conducibile futurũ eſt proſpiciendo. Opto itaq; uiuas felix ò iuſtiſsime Conſtantine, iucundũ purpuræ honeſtamentũ ac ſplendidũ ſydus fulgorq́;, & proſperare à dijs, inimicorumq́; tuorũ uictor euadas perpetuo, his qui ſub tua poteſtate ſumus ſemper optima prouidendo.

CONSTANTINI

CAESARIS SELECTARVM PRAE*ceptionum de Agricultura Liber primus.*

QVAE *à ueteribus diuerſis, tum de agricultura, tũ de plantarũ ſatiuarũ cura, alijsq́; multis utilibus relata ſunt, ea in unũ collecta in hũc librũ digeſsi. Collectus eſt autẽ ex ſcriptis Florentini, Vindanionij, Anatolij, Berytij, Diophanis, Leontij, Democriti, Tarentini, & ex Africani paradoxis, & Pamphili, Apuleij, Varronis, Zoroaſtræ, Frontonis, Paxami, Damegerontis, Didymi, Sotionis, & Quintiliorũ. Neceſſarium igitur ac cõſequens eſſe ducẽs, ea quæ ordine prima ſunt, & quæ commodum eſt præſcire agriculturæ ſtudioſo, toti operi*

operi præponere, ea quæ ad aëris ſereni ac tempeſtuoſi cognitionem pertinent, & de ortu & occaſu manifeſtarum ac apparentium ſtellarum, & de affectibus ex ambiente contingentibus, in hoc primo libro conſcripſi.

De anni diuiſione, & ſolſtitiorum ipſius partitione. Florentini. CAP. I.

Villicum agri œconomiæ perfectũ neceſſarium eſt, & temporũ occaſiones, & ſolſtitiorũ mutationes noſſe. Ita enim ad cõuenientẽ unicuiq; tempori actionẽ operarios inſtigans, agrum plurimũ iuuerit. Pleriq; igitur, & imprimis Varro Romanus, principium ueris dixit, quũ ut plurimũ Fauonius ſpirare incipit, hoc eſt ad ſeptimũ Idus Februarij, ſole in Aquario exiſtẽte, triũq; ac uiginti partium facto, hoc eſt, tres & uiginti dies in hoc animalculo habente. Cõpleri autẽ ad nonas Maias. Aeſtatẽ uerò incipere ad octauum Idus Maij, ſole in Tauro exiſtente, compleri autẽ ad ſeptimum Idus Auguſti. Autumnum inſuper inchoare ad ſeptimũ Idus Auguſti, ſole Leonẽ tenente, cõpleri ad quintum Idus Nouembris. Hyemem forte incipere ad quartũ Idus Nouembris, ſole Scorpium occupante. Compleri eandẽ ad octauum Idus Februarij. At uerò Solſtitium hyemale ad octauum calendas Ianuarij eſt. Aeſtiuum uerò ad octauum calend. Iulias, quãquam aliqui ipſum ad ſextum nonas eſſe uelint. Porrò æquinoctium uernum ad octauum calendas Aprilis eſt. Quidam ad nonum uolunt. Autumnale uerò ad octauum calendas Octobris ſiue ad ſextum. Pleiadum ortus fieri incipit ad quartũ Idus Iunias. Occaſus ad quartũ Nonas Nouẽbris. Brumæ feſtum ad octauum calendas Decembris eſt.

Prænotiones ſereni aëris. Arati. CAP. II.

LVna tertia & quarta die tenuis & pura apparens, ſerenitatem ſignificat. Plena etiam exiſtens, ſi pura apparuerit, ſerenitatem portendit. Quin & ſemiplena pura apparens, ſerenitatem annunciat. At uerò rubicundior exiſtens, uentum ſignificat. Si qua pars eius denigrata apparuerit, pluuiam indicat. Sol quoq; purus exoriens, ſerenitatem ſignificat, & modica nebula ante exortũ ipſius apparente, ſerenitas erit. & ipſo occidente, ſi nebulæ circum ipſum diſtractæ extiterint, pluuia timenda non eſt. Occidens autem citra nebulas purus, etiam ſequentẽ diem ſerenam promittit. Si uerò citra nebulam ſol emerſerit, nebulæ autem poſtea prope ipſum ſteterint rubicundiores, neq; nocte, neq; ſequenti die pluet. Nebulæ rubicundiores diuulſæ circa occaſus, pluuiæ timorem eximunt. Noctua continẽter canens per noctem, & cornix leniter in die uociferans, & corui plures gregatim ueluti gaudentes & clamantes, ſerenitatem ſignificant.

Prænotiones tempeſtuoſi aëris, & ex quibus ſignis pluuias expectare oportet. CAP. III.

LVna tertia ac quarta die, obtuſa habens cornua & tenebricoſa, pluuiam ſignificat. Circulus autem eius rubens ac igneus apparens, tempeſtatem indicat. Plena luna, ſi quid circum ipſam denigratum uideatur, pluuiam oſtendit. Si uerò circum totam lunam areæ duæ ſiue tres extiterint, maximam tempeſtatem futuram ſignificant, præſertim ubi illæ nigriores fuerint. Sol rubens in exortu & nigreſcens, pluuias deſignat. Sole exoriente, ſi

te,ſi circa radios tenebricoſa nebula apparuerit, pluuiam ſignificat. Occidens uerò ſol, ſi iuxta ſiniſtram partem nebulam nigram habet propinquam, pluuiam ſtatim ſperare oportet. Tonitrua & fulgura ex qua parte fiunt, inde tempeſtatem portendunt. Si modo ex auſtrali parte, modo ex boreali uentus progredietur, ampliuſque auiculæ paluſtres & marinæ ſi in aqua aßiduo lauent, tempeſtatem annunciant. Iris dupla apparens, pluuiam præſagit. Scintillæ ex ollis aut uaſis æreis micantes, pluuiam deſignant. Cornix in littore caput madeficiens, aut tota natans, & noctu uehementius uociferans, pluuias annunciat. Gallinæ domeſticæ frequenter puluere ſe opplentes, & clamantes, & corui & graculi gregatim apparentes & crocitantes, & hirundines circa paludes, aut piſcinas, aut fluuios cum clamore uolantes, hymbrem indicant. Muſcæ etiam amplius pungentes, & anſeres cum clangore cibum appetentes, & araneæ citra uentum deorſum latæ, & lucernarum flammæ nigreſcentes, & ouium greges laſciuientes, tempeſtatem futuram ſignificant. Boues ad meridiem ſpectantes, aut ungulas circumlingentes, & poſt mugitum in bubile progredientes pluuias deſignant. Similiter & lupus animatior prope domos accurrens, & canes terram effodientes, & ulula matutino ululatum ædens, & auiculæ ad partes pelagi fugientes, tempeſtatē portendunt. Grues citius uenientes ac feſtinantes, tempeſtatē ſtatim futurā oſtendunt. Mures ſtridentes, tempeſtatē ſignificant. Porrò ubi plura ſigna ſimul concurrunt, firmior ſpes erit. Maxime uerò quartas tum augeſcentis, tum decreſcentis lunæ

obſer

obſeruare oportet. Hæ enim aëris motum mutant.

Prænotiones longioris tempeſtatis hyemalis. Eiuſdem. CAP. IIII.

ILices & quercus multum fructum ferentes, diutiorem hyemem fore ſignificant. Et capræ & oues initæ, rurſusq; iniri expetentes, longiorem hyemem portendunt. Si animalium greges terrã effoderint, & capita ad boream extenderint, magnam hyemem prænunciant.

Prænotiones an præcox aut ſerotinus futurus eſt annus. Didymi. CAP. V.

PRæſtat prænoſſe utrum præcox aut ſerotinus annus fiet. Etenim ſemine uberiore uti melius eſt ſerotino anno apparente, propterea quòd quædam ex ſeminibus in medio tempore corrumpantur. Si igitur poſt uindemiam hymber continget ante pleiadum occaſum, præcox annus erit. Si uero ſimul cum occaſu pleiadum hymber fiet, medius. Si uerò poſt pleiadum occaſum pluuia cœperit, ſerotinus fiet annus. Democritus autem & Apuleius aiunt talem futuram expectare oportere tempeſtatem, qualis erit dies eius feſti, quod Romani Brumam appellant, hoc eſt, quarta & uigeſima mẽſis Nouẽbris, qui Græcis aliquibus Dios uocatur. Alij quidam ex aſſeruatione quadam aſſerunt, iuxta ſimilitudinem quartæ & uigeſimæ prædicti menſis Nouembris, in qua bruma fit, futurum eſſe deinde ſequentem Decembrem menſem. Iuxta ſimilitudinem uerò quintæ & uigeſimæ eiuſdem Nouembris, Ianuarium menſem fore. Iuxta ſimilitudinẽ autem ſextæ et uigeſimæ eiuſdem Nouembris, Februarium. Verum hoc aliquando quidem contingere ſolet, aliquando uerò nequaquam. Quin

& illud

& illud quidam ex obſeruatione tradunt, quòd à ſeptima menſis Martij die, uſq; ad decimam quartam eiuſdem menſis, aër frigidior fieri ſolet. In illis enim diebus quadraginta martyres in paganorum manus traditi, ſupplicio affecti, fidei ſuæ teſtimonium præbuerunt.

De menſe ſecundum lunam. Diophanis. CAP. VI.

QVidam cenſent nihil decreſcente luna, ſed augeſcente plantandum eſſe. Alij à quarta ipſius die uſq; ad octauam decimam plantare commodum eſſe uolunt. Alij ſolis antelunaribus diebus: hoc eſt, ſolis tribus diebus à natiuitate ipſius, plantare permittunt. Alij à decima uſq; ad uigeſimam aliquid plantare deuitant, ut ne lumen ipſius cum plantis defodiatur. Exacta autem doctrina prædictarum obſeruationum & præſtantior hæc eſt, ut uidelicet ſuper terram exiſtente luna plantatio fiat. Ligna uerò cædantur eadem ſub terra exiſtente.

Quòd neceſſarium ſit ſcire, quando luna ſuper terram, & quando infra terram eſt. CAP. VII.

QVandoquidem multa agriculturæ opera, quandoq; quidem ſuper terram, quandoq; ſub terra luna exiſtente, proficere neceſſarium eſt, operæprecium uiſum eſt mihi à nouilunij die uſque ad trigeſimam: iuxta ſingulos dies indicare, à qua hora diurna ſub terra aut ſuper terrã luna exiſtat. In nouilunio igitur luna ſub terra eſſe incipit, à dimidia hora nocturna, uſque ad dimidiam horam diurnam. Secunda die ab una & dimidia hora nocturna, uſque ad unam & dimidiam horam diurnam. Tertia à duabus

à duabus horis & quarta parte horæ nocturnæ, uſque ad ſecundam & quartam partem horæ diurnæ. Quarta à tertia & tertia parte horæ nocturnæ, uſq; ad tertiam & tertiam partem horæ diurnæ. Quinta ab hora tertia & decem cum dimidia partibus horæ nocturnæ, uſq; ad eaſdem diurnas. Sexta die ab hora quarta & nouem partibus horæ nocturnæ, uſq; ad eaſdem diurnas. Septima ab hora quinta & ſex cum dimidia partibus horæ nocturnæ, uſque ad eaſdem diurnas. Octaua ab hora ſexta & quatuor partibus horæ nocturnæ, uſque ad eaſdem diurnas. Nona ab hora ſeptima, & undecim cum dimidia partibus horæ nocturnæ, uſque ad eaſdem diurnæ. Decima die hora ſeptima & undecim partibus horæ nocturnæ, uſq; ad eaſdem diurnæ. Vndecima ab hora octaua, & tribus cum dimidia partibus nocturnæ horæ, uſque ad eaſdem diurnas. Duodecima ab hora nona & nouem cum dimidia partibus horæ nocturnæ, uſq; ad eaſdem diurnas. Tertia decima ab hora decima & decem cum dimidia partibus horæ nocturnæ, uſque ad eaſdem horæ diurnæ. Quarta decima ab hora undecima & tertia parte horæ nocturnæ, uſq; ad eaſdem diurnæ. Quinta & decima ab exortu ſolis uſque ad occaſum pulcherrima, quando ſanè diurna opera in ea facere præſtabilius eſt.

Sexta & decima ab hora diurna dimidia, uſque ad eandem nocturnam. Septima decima ab hora prima & decem cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſque ad eaſdem nocturnæ. Octaua decima ab hora ſecũda, & quatuor cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſque ad eaſdem nocturnæ. Nona decima ab hora tertia & tribus partibus

horæ diurnæ, uſque ad eaſdem horæ nocturnæ. Vigeſima ab hora tertia, & decem cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdem nocturnæ. Vigeſima prima die ab hora quarta & nouem partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdem nocturnæ. Vigeſima ſecũda ab hora quinta & ſex cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdẽ nocturnas. Vigeſima tertia ab hora ſexta & quatuor partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdem nocturnæ. Vigeſima quarta ab hora ſeptima, & undecim cũ dimidia partibus horæ diurnæ, uſque ad eaſdem nocturnas. Vigeſima quinta ab hora ſeptima & undecim partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdẽ nocturnæ. Vigeſima ſexta ab hora octaua, & tribus cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſque ad eaſdem nocturnas. Vigeſima ſeptima ab hora nona, & nouem cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdem nocturnas. Vigeſima octaua ab hora decima & decem cum dimidia partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdẽ nocturnas. Vigeſima nona ab hora undecima & tribus partibus horæ diurnæ, uſq; ad eaſdẽ nocturnas. Trigeſima à ſolis occaſu uſq; ad eiuſdem exortum.

De caniculæ ortu, & prænotione eorum quæ ex ipſa contingunt. CAP. VIII.

Caniculæ ortus ſit illuceſcente uigeſima Iulij menſis. Obſeruandum eſt autem in qua domo exiſtente luna, eius exortus fiat. Etenim ſi in Leone exiſtente luna fiet caniculæ ortus, frumenti fertilitas magna, olei item ac uini erit, aliarum quoque rerum omnium pretium uile. Orietur tumultus & cædes, apparebit rex, & aëris teneritudo: continget incurſus gentis in aliam gentem,

gentem, & fient terræmotus ac inundationes. In Virgine uero ſi luna fuerit, multitudo hymbriũ cadet, magnaq́; rerum abundãtia erit, parientes abortient, ſeruorum ac quadrupedum uilitas erit. In libra eadem exiſtente, continget regis motus, & quadrupedum commodus fructus, in populo tumultus, olei raritas, frumenti corruptela, uini uero & fructuum arborum foris lignoſum putamẽ habentium abundantia. In Scorpio ſi eadem fuerit, ſacerdotum tumultus, apum pernicies, & conſtitutio peſtilentialis erit. In ſagittario eadem exiſtente, fertilis annus & pluuioſus, frumenti abundantia. Lætitia inter homines, pecorum autem interitus & uolucrium multa copia erit. Si uero quum in Capricorno luna fuerit eadem orietur, exercituum motus & pluuiarum copia, & frumenti uiniq́; ac olei multa fertilitas, omniumq́; precium uile. In Aquario eadem exiſtente, morietur rex, frumentum corrumpetur, locuſtæ abundabunt, pluuiæ raræ erunt, peſtis graſſabitur. In Piſcibus eadem exiſtente ſi canicula orietur, multæ pluuiæ erunt, uolucres peribunt, uinum & frumentum abundabunt. Hominum corpora morbi inuadent. Si uero in Ariete eadem exiſtente Caniculæ ortus fiat, animalium gregatim paſcentium multus interitus erit, & pluuiarum ubertas, frumenti copia exigua, olei fertilitas. Si autem in Tauro, pluuiæ multæ, & grandines, & rubigo, & plagæ multæ. Si uero in Geminis, frumenti & uini multa fertilitas, omnisq́; fructus erit, rex deficiet, homines interibunt, & exercitus mouebuntur. In Cancro eadem exiſtente, ſiccitates & fames erunt.

Ortus & Occaſus apparentium ſtellarum. CAP. IX.

QVandoquidem neceſſe eſt agricolas noſſe apparentium ſtellarum ortus & occaſus, Hoc modo de his *conſcripſi, ut etiam omnino rudes literarum ex auditu ſaltem facile intelligere queant, tum ortus tum occaſus ipſarum tempora. Calendis Ianuarij menſis Delphinus oritur. Vigeſimaſexta Februarij Arcturus ueſpertinus oritur. Calendis Aprilis Pleiades ad ſummã noctẽ occultantur. Vigeſimatertia Aprilis Pleiades ſimul cum ſolis ortu exoriuntur. Vigeſimanona Aprilis orion ueſpertinus occultatur. Trigeſima Aprilis ſuculæ ſimul cum ſolis exortu oriuntur. Septima Maij pleiades matutinæ apparent. Decimanona Maij ſuculæ matutinæ oriuntur. Septima Iunij arcturus matutinus occidit. Vigeſimatertia Iunij orion oriri incipit. Decima Iulij orion matutino oritur. Decima tertia Iulij procyon matutinis oritur. Vigeſima quarta Canicula mane oritur. Vigeſimaſexta Iulij eteſiæ ſpirare incipiunt. Trigeſima Iulij ſplendida ſtella in pectore leonis oritur. Vigeſimaquinta Auguſti ſagitta occidit. Decimaquinta Septembris arcturus oritur. Quarta Octobris corona mane oritur. Vigeſima quarta Octobris pleiades ſimul cum ſolis exortu occidunt. Calendis Nouembris pleiades mane occidunt, & orion occidere incipit. Vigeſimaſecunda Nouembris, canis matutino occidit.*

Significatio effectuum ex primo tonitru ſingulis annis, poſt canis ortum. Zoroaſtræ. CAP. X.

PRimum tonitru cenſendum eſt ſingulis annis, quod poſt canis ortum contingit. Quare obſeruandũ eſt, in qua domo circuli zodiaci luna exiſtat tum quum primum tonitru auditur. Etenim ſi luna in Ariete exiſtente tonitru fiat: conſternatos & dubiæ rationis quoſdam in regione futuros ſignificat, & futuros timores hominũq; fugam, poſtea uero quietum ſtatum. In Tauro uero luna exiſtente ſi tonuerit, frumenti & ordei corruptionẽ portendit, & locuſtarum inſultum. In regia autem aula gaudium. His uero qui ad orientem habitant anguſtiam & famem. In Geminis ſi tonuerit, turbas & morbũ indicat, frumenti corruptelam, & Arabum perditionem. In Cancro, ordei corruptionem, & ſiccitatem, & boum mortem: circa martium uero & aprilem pluuiarum copiam. In Leone, frumenti ac ordei perniciem in montana regione, & pruritus & impetigines. In Virgine, regis interitum & alienigenam regionis regem, nauigãtibus periculum, circa ſata rubiginem. In Libra, bella & plagarum multitudinem, & fructuum corruptionem. In Scorpio fames erit, uolatilia autem multiplicabuntur. In Sagittario, commotionem ſignificat in regione, in montana regione frumenti fertilitatem, in campeſtri corruptionem. In Capricorno, pluuias fore ſignificat in dies quinquaginta, & regis dolum ac uituperium & indecoram loquacitatem, & alieni regis apparitionem ab oriente, qui uniuerſo terrarum orbi dominabitur. fructuum abundantia erit, & uirorum præcellentium mors, ouium uero generatio. In aquario, bella grandia in regione maritima: fructuum aliorum fertilitatem, leguminum autẽ per-

niciem. In Piſcibus frumenti corruptionem modicam, & mortem uiri potentis.

De appellationibus uentorum, & quot ſunt, & unde unuſquiſq; ſpirat. Dionyſij. CAP. XI.

A Quatuor mundi partibus quatuor uenti primarij ſpirant, Subſolanus, Fauonius, Boreas, & Auſter. Subſolanus itaque ab Orientali plaga fertur. habetq; à lateribus adſpirantes ipſi Eurum & Cæciam. Fauonius uero ex occidentali plaga ſpirans, Iapigem habet & aphricum, qui ipſum medium conſtituunt. Boreas autem ex ſeptentrionali parte ſpirans, habet Thraciã & Aquilonem qui ipſum medium cõſtituunt. Auſter porrò à meridie fertur, habetq; medium ipſum facientes aphricoauſtrum & Euroauſtrum. Quo fit ut in totum duodecim uenti exiſtant. Cæterum fauonium præ alijs uentis agriculturæ commodum eſſe, etiam Florentinus ait, & nos quoque fatemur. Ventos autem prænuntiat mare undis exæſtuans, & in littoribus ualide reſonans. Idem faciunt montium iuga pura exiſtentia. Spinæ item & arida folia in contrarium à uentis uolutata. Tonitrua & fulgura in æſtate undecunq; ferantur, inde uentum expectare oportet. Quocunque ſtellæ delabentes uergunt, illinc uentum expectandum ſignificant.

Duodecennium Iouis, & quæ efficit circunuertens duodecim circuli Zodiaci domos. Zoroaſtræ. CAP. XII.

CIrculus Zodiacus in duodecim domos ſectus eſt, Tres quidem uernas, Arietem, Taurum, Geminos.

Tres

Tres etiam Aeſtiuas, Cancrum, Leonem, Virginem. Tres autumnales, Libram, Scorpium, Sagittarium. Tres hyemales, Capricornũ, Aquarium, Piſces. At uero Iouis ſtella in unaquaq; domo exiſtens ſubſcripta efficit. Quum ſtella Iouis in ariete ſteterit, quæ domus Martis exiſtit, totus annus borealis erit, participans etiam cum Euro uento. Hyems frigida & niuoſa, Hymbres autem cõtinui erunt & fluuij magni. Poſt æquinoctium uernum, aër in aquas molles ac denſas mutatur. Aeſtas autem ordinata erit & ſalubris. Autumnus æſtuoſus, Eruntq́; in ipſo morbi, & maxime à capite, & deſtillationes, & tuſſes. Ex locis campeſtria magis fructum ferent. Supplicandum eſt autem ut ne bella oriantur. Democritus dicit unum bonum & durabile eſſe, annumq́; oportunum ad ſolam uitium plantationem. Frumẽtum uero in areis munire oportet propter hymbres, fieri etiam uolucrium raritatem, & bonum eſſe hortos apparare. Quum uero in Tauro fuerit domo Veneris, Principium quidem hyemis temperatum erit & pluuioſum. Medium uero niuoſum. Finis frigidus. Maximè uerò hyemabit à medio hyemis uſq; ad æquinoctium uernum. Ver temperatum erit & humidum uſq; ad caniculæ exortum. Aeſtas æſtuoſa, Autumnus glacioſus & morboſus, maxime uero iuuenibus lippitudines accedẽt. Campeſtres loci magis montanis fertiles erunt, uinum iniuriam patietur. Quapropter oportet uitem ſero uindemiare. Erit autem & fructuum lignoſorum feracitas, auicularum raritas. Nauigantibus annus ineptus. In hoc anno illuſtris uir morietur. Cæterum Democritus in hoc anno multam grandinem fore dicit, & niues. Eteſias uerò

non ſimiliter ſpirare, Et orandum ut ne terremotus fiant, & expeditionis militaris motus. Vbi uero in Geminis in Mercurij domo Iupiter fuerit, totus annus uentum auſtrinum & aphricum ſentiet. Hyemis initium quidē erit uentoſum, medium uero temperatum, finis glacioſus ac uentoſus. Ver temperatum, tenues habens aquas. frumentum erit multum. Aeſtas temperata, propterea quòd Eteſiæ uenti ad multum tempus ſplendidi ſpirant. Fructus in area uitiabūtur, præſertim in Syria. Morbi circa autumnum oborientur, in iuuenibus maxime, ac mediæ ætatis, & mulieribus. Erunt & lippitudines autumno æſtuoſo exiſtente. Morientur etiam mulieres. Fructus lignoſi fertiles erunt. Aquæ fontium deficient. Præſtat autem fructus reponere, ob futuram ſequentis anni ſterilitatem. Democritus grandinis noxam futuram ait, Supplicandum ut ne peſtilentes affectiones fiant. At ſi in domo lunæ in cācro Iupiter fuerit, hyems ut plurimū ab orientis partibus frigida erit & caliginoſa, & magnos fluuios habens. Circa ſolſtitium hybernum aquarum tolerantia erit. Poſt æquinoctium uernum aßiduè grandines erunt. Aſperi loci magis fructum ferent. Annus autem ſalubris erit excepto autumno. Democritus in autumno puſtulas feruidas circa os erumpere dicit. Quare in uere olera contingere oportet, aluumq́; ſoluere, præſertim iuuenes, & mero uti. Olea ferax erit. Exiſtente porrò Ioue in leone domo Solis, hyemis principium frigidum erit & aquoſum cum magnis uentis, ut & arbores cōcidant. Medium autem temperatum, finis frigidus. Ver pluuioſum, æſtas ueri ſimilis eſt. Deficient in ipſa aquæ fontibus, deficiēt item paſcua brutis.

tis. Autumnus æſtuoſus & morboſus ex diſtillatione & tußi. Quare modico pane utendũ eſt, & uino pluri. Frumentum moderate habebit. Vitis & olea fertiles erunt. Accommodatus annus eſt ad inoculationem, non item ad plantationem. Magnorum manſuetorum animalium interitus erit, ferorum autem ingens ubertas. Vir inſignis morietur. Supplicare oportet ne terræ motus fiant. Tenente deinceps Ioue Virginis ſignum & domum Mercurij, Hyems incipiens frigida erit, Media temperata, finiens hybernalis, glaciem habens multam, & hymbres, & fluuios magnos, ut etiam multi loci undis ſubmergãtur. Ver pluuioſum, & arboribus noxium. Deſinente uere grandines in locis erunt. Aeſtas pluuioſa & caliginoſa. Et oportet collectionem fructuum frumenti compendioſe fieri, ut ne ab hymbribus corrumpãtur. Autumnus uentoſus & ſaluber. Vitis fertilis erit. Aptus annus ad uitium plantationem. Frumentum facile corrumpetur. Salubris totus erit annus nullo morbo obnoxius. Supplicãdum autem eſt pro fructibus. In domo deinde Veneris Libra ubi Iupiter ſteterit, principium hyemis aquoſum erit, medium temperatum & uentoſum, finis humidus & pruinoſus. Ver temperatum, habẽs infirmitates ex capite. Aeſtatis principiũ ueri ſimile erit, prægnantibus mulieribus periculoſus erit annus. Democritus ait in hoc anno nunquam magnos fluuios futuros, neque grandinem multam. Autumnum uero eſſe aquoſum. Quũ in domo Martis Scorpio Iupiter fuerit, hyems incipiens frigida erit cum grandine, media calida, finiens uero lenis. Ver erit hyemale, uſq; ad ſolſtitiũ æſtiuum. hymbres & tonitrua apparebũt. Aquæ fontium

deficient. frumentum moderatum erit. Vitis & olea fertilitate abundabunt, boum corruptio erit. Democritus fluuios magnos futuros ait, & morbos circa autumnum. Quare ſupplicare oportet, ne peſtilẽtes affectiones fiant. Oportet inquit cibo quidem pauco, potu uero uberiore uti. Quãdo in propria domo in Sagittario Iupiter fuerit, hyemem habebit temperatã & aquoſam, neq; calidã neq; frigidam. Fluuij magni erunt, deſinente autem hyeme, frigora & uenti erũt. Ver auſtrinum & pluuioſum. Aeſtas temperata & magis hybernalis. Oportet autem munire areas propter hymbres. Autumnus ſecurus propter Eteſiarũ flatum. Et præcoces & ſerotini fructus boni erunt, medij uero uitioſi, frumentum & in campeſtribus, & in aſperis locis abũde proueniet. Vinum durabile erit quod ſerius uindemiatur. Omnes arbores fertiles erunt. Annus aptus ad plantationem, & ad alia omnia. Magnorum animalium ingens multitudo, canum uero corruptio erit. Mare procelloſum, & uenti magni ſerotini. Vir circunſpectus morietur. Si Iupiter in Capricorno in domo Saturni fuerit, hyemis initium temperatum erit. Medium humidum & frigidum, finis uentoſus. Aquæ uero auctæ ſatis, & alijs operibus nociuæ erunt. Capient autẽ aceruatim incremẽtũ, & aquæ & frigora, & niues. Aeſtas ante caniculæ exortum ſimplex & uulgaris, poſtea uero æſtuoſa & morboſa. Spirabũt Eteſiæ ſplendidè, fient & terræmotus. Campeſtria magis fructum ferent. Vinum à pruina peribit. Lignoſi fructus abundabunt, paruis animalibus annus accommodatus eſt, magnis uero calamitoſus, & præſertim bubus. In autumno morbi exſurgent

ex cap

ex capitis dolore, & lippitudinibus, & pruritu. Supplicandum eſt ne fructus ex glacie & uentis lædãtur. Quãdo Iupiter in Aquario fuerit in domo Saturni, uẽti erunt multi commodi frumentario fructui, & maxime lignoſo. hyemis initium quidem frigidum, finis uero uẽtoſus. Ver aquoſum, & magis hybernum ac pruinoſum. Aeſtas ſine uentis, ob Eteſiarum uentorum uehementiam. Erunt & pluuiæ in æſtate, ut etiam cereales fructus inundationem ſenſuri ſint ex parte. Autumno uenti oriuntur aquoſi & fructibus nociui. Erunt & affectiones acutæ, ex humida cauſa iuuenibus & mediæ ætati. Erit etiam pruina, & uuas in multis locis lædet. Sata uero erunt optima tum præcocia, tum ſerotina. Volucres peribunt, & feræ ſylueſtres. Erunt & naufragia multa, & uir inſignis morietur. Supplicatione auertendæ ſunt affectiones peſtilentes, & terræ motus, & fulmina, ut ne fiant. Ioue poſtremo in piſcibus in propria domo exiſtente, hyems orditur quidem pluuioſa, medium habet uentoſum, finem uero grandinoſum ac niuoſum. In uere ſpirant uenti fauonij ſplẽdidi. Aeſtas erit æſtuoſa, Autumnus ardẽs, præſertim mulierculis ac uirginibus. Inſpirant autem & uenti uitioſi qui lignoſum fructum exurunt. Sata erunt bona. Verum areas munire oportet propter hymbres, prægnantibus mulieribus annus periculoſus. Democritus ait & uitem & oleam, fertilem futuram. Supplicandum autem ne terræ motus fiant.

De Sole & Luna. Ptolemæi. CAP. XII.

SOl proprij ignis ſiccitate humidam ſubſtantiam exhaurit. Luna uero per ſeipſam humectans, conuenien-

tem

tem iuxta ſeſe mixturam & temperaturam operatur. Sotion illunes appellat dies, à luna uigeſimanona uſque ad ſecundam, ijdem interlunares & ſilentis lunæ ab alijs appellantur, in quibus ſub radios ſolis luna occultatur, & hominibus non apparet.

Quomodo grandinem abigere oporteat. Philoſtrati. CAP. XIIII.

AIunt quidam, ſi quis ſpeculum incumbenti nubi oſtendat, grandinem præteriturã. Et rurſus ſi hyenæ, aut Crocodili, aut Phocæ pellem loco circunducas, eandemq́; præ foribus domus ſuſpendas, grando non cadet. Si uero & claues multas diuerſarum ædium per circulum regionis funiculis illigaueris, grando præteribit. Et ſi in domibus tauros ſtatues ligneos, ualde iuuabis. Et teſtudinem paluſtrem ſi in dextram manum poſueris ſupinam, modica terra circum eam aggeſta, ut nequeat ſeipſam uertere ac abire, quod ipſum facere non poterit, ſi terra ſub pedibus ipſius cõcauior fuerit facta: quum enim non reperiat quod inſtar ſuſtentaculi apprehẽdere queat manet in loco, quo facto neq; in aruum, neq; in ullum aliquem locum grando cadet. Sunt autem qui tradant, hora ſexta diei aut noctis circumgeſtationem teſtudinis & depoſitionẽ fieri oportere. Apuleius Romanus ait, Vuam in tabellam depictam in uinea conſecrandam eſſe occidẽte Lyra, & fructum manere illæſum. Incipit autem occidere Lyra ad decimum Calẽdas decembres. Perfecte quidem occidit prima nonarum Februarij, id eſt ipſo nonarum die. Atq; hæc quidem à ueteribus tradita ſunt. Ego uero quædam ex relatis ualde indecora eſſe opinor &

uitanda, omnesq́; monco talibus ut nequaquam animum aduertant. Verum ea gratia hæc adſcripſi, ut ne uidear quid relinquere eorum quæ ueteres prodiderunt. Quin & equi fluuiatilis pellis ſegmenta ad ſingulos terminos poſita, grandinis minas cohibent ac ſiſtunt.

De fulmine. CAP. XV.

Hippopotami pellem intra regionem defodito, & eo loci fulmen non cadet.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. II.

HAEC *inſunt in hoc libro ſecundo, ſelectarum de agricultura præceptionum. Quæ agris conferunt, de diuerſis fructibus, frumento uidelicet & ordeo, & reliquis ſarmentitijs appellatis fœtibus in ſingulis capitibus ſubſcriptis. Conuenit autem primum id quod generalius eſt reliquis præponere.*

Quòd plurimum conferat agro domini præſentia. CAP. I.

A*Grum multo præſtantiorem facit aſsidua domini præſentia, omnes enim ad operarum ſedulitatem impellit, & de deficientibus ſubmonens ea impleri facit, & alios in opere alacres collaudando, alios ſegnes obiurgando, ad unum ſcopum diligentiæ & ſedulitatis omnes reſpicere cogit.*

Quod

Quòd pueri maxime agriculturæ apti ſunt, & quòd ad operum qualitatem operantiũ corpora eligere cõuenit, & unicuiq; operi conuenientem adhibere. CAP. II.

VNaquæq; ætas ſuam habet ad agriculturam aptitudinem, præcipue uero pueri conueniunt, per ætatem enutriti ad operas, & ſubſeruientes, & ad ſingula quæ fiunt diligenter animum aduertentes. facileq; flectere ſe potentes ad gramen euellendum, & folia decerpenda, ac frondes, & naturam terræ experientia, operaq́; & induſtria ex ſenioribus ediſcentes. At uero aratorem longius corpus habere oportet, talis enim ſtiuæ fortiter incumbens, totum uomerem degrauat, ne in ſuperficie ſulcus ducatur. Sed & plagæ ex alto delatæ magis contingunt ipſos boues. Cæterum uinitores non tam altos eſſe oportet, uerum quadratos. Talis enim ad uitis culturam non è longinquo incumbens, ſed terræ uicinus exiſtens, ſine labore operabitur. Bubulcos fortes & longos & uoce aſperiore præditos præficiemus, ut ne ſi parui exiſtant, boues præcedentes eos occultent, poßintq́; ea quæ ante boues ipſos ſunt contueri, & ut uocis aſperitate boues ipſos perterrefaciant. Caprarios leues eſſe oportet & ueloces, celeritatem caprarum ut aſſequi poßint.

In qualibus locis, & mundi partibus domos ædificare oporteat, & ad quale ſydus ſpectantes, & de balneis. Didymi.

CAP. III.

LOci maritimi ut plurimum ſalubriores ſunt, & montani, & accliues, ad boream uergentes. Qui uero prope

prope paludes & ſtagna, aut in locis concauis, aut ad auſtrum uentum, aut ad occidentem inclinati ſunt, morboſi. Oportet igitur domos in altioribus locis ædificare: Ad ſanitatem enim & ſpeculationem, & regionis colluſtrationem, hic locus aptiſsimus exiſtit. Cæterum tota figura domus ad orientes extruenda eſt, itemq́; fores. Venti enim ex orientis partibus ſpirantes ſaluberrimi ſunt, & ſolis calor citius irrumpens attenuat & diſsipat omnem aëris craſsitudinē ac caliginem. Nec uero humiles domos, neq; arctas facere oportet, ſed ſpatioſas, & amplas ac altas. Quidam etiam ad meridiem domos extruere conſulunt, utpote plurimum ſolem diutiſsime habentes. Verum ego domum ad orientem præſtantiorē pronuncio, propterea quòd Auſter à meridie ſpirans, humidus & inæqualis & morboſiſsimus exiſtat. At uero balnea uice uerſa facere oporteat, non ut ad Boream & Septentrionem aſpectum uertant, ſed ad occaſum hybernum aut ad meridiem. Sint autem hæc ampla & purum aërem ſuſcipientia. Etenim ſterquilinijs, & cœno fœtentibus locis, in uicinia nō exiſtentibus, purus aër ingreditur. Fornaces in his debēt eſſe ad terram formati, intrò ſpectantes, inclinati, deorſum tendentes, ut coniecta in ipſos ligna intrò procedant, neque exitum habeant, uerum flamma intus deliteſcens multam caliditatem cellæ ac uaſis de ſe præbeat.

De aquæ inueſtigatione.

Paxami. CAP. IIII.

VBi uitices quæ & amerinæ ab aliquibus dicuntur, aut conyza, aut othlis, aut harundines, aut colymmatos per ſe, aut trifolium, aut potamogeton naſcuntur,

aut ubi iuncus per ſe apparet, illic ſodito. At uero facilior experientia ad inueniendã aquam hoc modo fit. In quocunq; loco quis uelit, ſoueam altitudine trium cubitorum faciat, paretq́; uaſculum plumbeum ad ſimilitudinem ſemiſphæræ, aut ollam, & occidente ſole unum ex prædictis oleo perlinat, & accepta lana lota, ſicca, pura, longitudinis palmi, circa medium eius lapillum paruum illiget, atque ipſam lanam intra uaſculum cera adglutinet, ne elabatur, deinde uas in ſoueam inuertat, animaduerſione habita, ut poſtquam inuerſum fuerit uaſculum, lana in ipſo uſque ad medium dependeat, quo facto totum uaſculum ad cubiti altitudinẽ cooperiat & obruat, & per noctem ſinat. Sub diluculum autem ante ſolis emerſum, ablatis ſuperiniectis, uaſculum conuertat, & ſiquidem locus aquam habet, inueniet tum in uaſculo bullas, tum lanam aqua plenam. Quòd ſi multa eſt humiditas ut & lacrymæ deſtillent, prope aquam ſperato. Si autem humiditas ſimpliciter apparuerit, adeſt quidem aqua, ſed in alto. Si nullum horum ſignorum apparebit, idem periculum in alio atq; alio loco facere oportebit, cõſideratione ut hominem decet habita, ne deſperatos locos tentemus.

Alia ratio inueſtigandæ aquæ.

Montes alti & plures uertices habentes, aquoſi ſunt & maxime ad boream & ſeptentrionem ſitæ montium partes. Terra etiam nigra & pinguis aut etiam petroſa, maxime ſi petras nigras habuerit & ignei ruboris, aquoſa fuerit. Similiter & terra figulina, & quæcunq; repudiat ac repellit hymbres & tempeſtates. Quæcunque uero diffluit à pluuijs, eaſdemq́; abſorbet, humectior exiſtit.

exiſtit. Subſunt aquæ ubi naſcitur gramen, plãtago, heliotropium, butomon, rubi, hippuris, calamunthe, harundines tenues & molles, callitrichos, quæ & Adiantos, melilotum, oxylapathum, quinquefolium, ſanguinalis latis folijs prædita, iuncus, ſolanum, ſtratiotes, chamæleuce, chamæleo. Vbi uerò plures fuerint & denſæ, & uirides herbæ, plures etiam erunt aquæ. Cancri aquis commodi fuerint, nam & uenas aperiunt, & ſanguiſugas perdunt. Terræ nigræ & altæ, durabiliores aquas habent & aſperiores. Ex his uerò ualde lutoſæ aquoſiores, atque his adhuc amplius dulcore præditæ. Si in aliqua rara terra apparuerint aquæ, his ipſis quæ apparent contentum eſſe oportet, & plures non quærere, ut ne etiam præſentes perdamus. Aquarum aliquæ ex infernis ſcaturiunt, aliquæ ex obliquis ueniunt, et ſcaturientes quidem ex infernis durabiliores ſunt: quapropter in altum effodere oportet, donec radix laticis deprehendatur, quo fluxus continuus ſit & permanens. Quæ uerò ex lateribus feruntur minore tempore quàm aliæ permanent, ex hybernis enim tempeſtatibus ac uernis pluuijs natæ ſunt. Cæterum ad cognoſcendum an terra aquam habeat, quidam etiam hoc faciunt: foueam effodiunt latitudine cubiti unius, altitudine cubitorum trium, & in foſſam circa meridiem ſpongiam ſiccam ad horas tres imponunt, & harundinum uiridium coma cooperiunt, aut etiam alia aliqua tenera herba. Et ſiquidẽ humorem traxerit ſpongia, aderit aqua. Vbi uerò ſicca fuerit, nequaquam. Quin & in altiorem locum progreſſum, primum ſolis radium priuſquam aër albeſcat, inſpicere oportet, & ſi quid nebuloſum in ipſum adtrahi,

antequam rareſcat, appareat, aquam expectare conuenit. Obſeruabis etiam in primo ſolis ſplendore, culices ſurſum in directum uolantes, ſeq́; ad trabis ſimilitudinem contorquentes, hi enim aquam portendunt. Oportet inſuper ex altiore loco animaduerſionem habere, æſtate quidem in meridie, quando aër purus & terra ſicciſsima fuerit: tunc enim in aquoſis locis uapor ſurſum leuatur, & paruæ nebulæ ſimilitudine cernitur: hyeme uerò ſuffumigationem quandam & halitum huiuſmodi locus remittit, ſimilem eis qui ex fluminibus & ſtagnis & puteis efferuntur, niſi quòd illi multi ſunt & nubili, hi graciles et aëroſi. Aquarum amaritudinem corallio contuſo iniecto emẽdabimus, aut ordeum contuſum & linteolo illigatum in aquas ponimus. Hirudines *perdunt anguillæ, & cancri fluuiales, aquis iniecti.* Signa *porrò generationis aquarum dulcium, iuncus, arundo, lotus & rubus.*

De aquæ ueſtigatione. Democriti. CAP. V.

De *aquæ ueſtigatione ſiue inquiſitione, hydrophantica appellata Græcis, deinceps dicamus.* E*tenim hi qui ab aquæ ueſtigatoribus experientiam ſumpſerunt, pronunciant campos quidẽ ac planicies ut plurimũ aquis carere, & maiores magis minoribus.* Ex *montibus uerò pleroſque aquoſos eſſe, & imas ipſorum partes humidiores quam ſummas, & denſas ac arboroſas magis humidas eſſe quàm nudas.* Aq*uæ uerò quæ in campis reperiuntur, ut plurimum ſalſæ ſunt, quæ uerò in montibus & imis ipſarum partibus, dulces: niſi ſi aliquarum ſapor corrumpatur per incumbentium aquarum proprietatem, crudarum*

rum uidelicet aut ſalſarum, aut nitrum, aut alumen habentiũ, aut ſulphur, aut aliud quid eiuſmodi. Naturales autem cauſas prædictarum tales afferunt: Nempe ſolem ex aquis ſemper id quod tenuiſsimũ ac leuiſsimum eſt attrahere. Quare quum campos per totam diem ſol occupet, humorem ex ipſis emulgere & in uaporem diſſoluere: unde ſane contingit ut quidam penitus aquis careant. uerum in quibus aliquid relinquitur, id omnino ſalſum reperitur, leui ac dulci ex ipſis conſumpto, quemadmodum etiam circa mare contingit. At uerò montium aquas id ipſum non perpeti, quum non per totam diem ſolis radijs exurantur, & inclinatus & non uiolenter ipſis irruat, unde etiam eos qui ad ſeptentrionem declinant montes, aquoſiores pronunciant ad meridiem inclinatis, & eos qui ad orientem & occidentem, minus quidem aquoſos, quàm qui ad ſeptentrionem uergunt, plus autem quàm uergentes ad meridiem: & denſos arboribus plus aquoſos quàm nudos, propterea quòd arborum denſitate obumbrentur. Cæterum imas montium partes magis aquoſas eſſe, ob id quòd aquarum natura eſt ad infernam partem deferri, & quòd quæ in altis ſunt ad humiles congregentur, & ſub ipſas adeo montium radices. Vnde etiam plures fontes & latices in talibus locis exiſtere, in quibus magni montes ſuper incumbunt, altiq; ac denſi, cõcauos & cõualles locos habentes. In talibus enim hymbres per annum collectos & per terram excolatos, ipſos fontes augere. Quaſdam uerò aquas circa has imas montium partes non apparere, uerum ubi intra terrã aliquo tenus ſubductæ curſum perfecerint, tum demum in

apertum exprimi ac prodire. In uniuerſum enim per locũ uſq; ad mare ducentem apparere & expelli. Quædam uerò & in mare per terram ad multum loci ſpatium in uenis perductæ, ſic tandẽ ſcaturiunt, qualis eſt fons in Arado, & in Heraclea Ponti. Porrò eas quæ ex altis locis deferuntur fontes noſtri, πηγὰς illi, qui fixas uocant, atq; id propter ſuperincumbentes locos, adiacente uidelicet mõte Saoce appellato, & habente non longe à uertice locos aſperos & antroſos ac potentes plurimas cœleſtes aquas ſuſcipere. Fontes igitur irriguos, & quibus aliquid influit, πηγὰς eſſe pronunciant propter declaratas cauſas. Eſſe uerò præterea etiam in plurimis terræ partibus uenas habentes aquam. Quemadmodum enim inquiunt, in uiuis & animatis corporibus totũ corpus uenis & arterijs continuis interſtinctum eſt, ſic etiam in terra, & locos raros eſſe aëre plenos exiſtentes, & uenas aquam habentes, & in quibuſdã ualde denſas eſſe & inter ſe implexas, in quibuſdam rariores, quas facile offendunt & contingunt puteorum foſſores, ob multitudinem & denſitatem. πηγὰς igitur ſimiliter appellari etiã apertas uenas, propterea quòd permanentes ſint, & è longinquo ferantur, & inter ſe inuicem aquam ſuſcipiant. At uerò λιβάδας uocari, hoc eſt riuos, ſiue ſtillamenta, à pluuijs aquis percolatas, & quæ in anguſtis & opacis locis uelut in uaſis coactæ ſunt & collectæ, neque ſunt uenarum defluxus: unde neque permanere libadas, ſed ualde breui deficere, niſi ualde magnas eſſe ipſas contigerit. πηγὰς uerò augeriq; & deſinere, iuxta aëris circunſtantiam ſiue ſtatum. Siccitatibus enim obortis etiam fontes deſinere, pluuioſo uerò anno

exiſtente

existente augeri, alimentum nanque accipere, uelut etiam ſuperius dictum eſt, ipſorum fontium aquas ex aquis cœleſtibus. Quapropter etiam fontes maxime augeri circa ſolstitium hybernum, ſole quidem non ſimiliter urgente, hymbribus uerò augeſcentibus. Sub æstiuum uerò ſolstitium & canis exortum, contrarium accidere. Cæterum cognoſci fontes & riuos repertos tali quodã modo. Etenim fontem repertum ex generoſa uena, & leniter fluere incipere, augmentumq́; paulatim facere, & aliquo uſque auctum ſimiliter permanere, aut eũdem fluxum per totum habere, qui fuit primũ inuenti, niſi ſi quid deficiat, aut apponat, ob aëris circunſtantian. Verum λιβάδας ſiue riuos non ſimiliter facere aiunt, ſed in principio quidem largum & multum emittere fluxum, poſt multum uerò tempus deſinere. Quare non permittunt eiuſmodi fluxum fidem habere, uerum uestigatores aquarum primum quidem locos in quibus aquam quærere aggrediuntur, diligenter contemplari iubent, quomodo iuxta mundi climata ſiti ſint, & qualesnam tandem exiſtant, ſignis indicatis utentes. Et ſi quidem meatus extiterint ad inuestigationẽ, aliáq; ſigna tum ex ſolo, tum ex naſcentibus. Etenim iuncos naſcẽtes, quos quidam holoſchœnos uocant, & butomon, & rubos, & cyperum, quam quidem zernam appellant, inſuperq́; & gramen multum ac pingue, calamosq́; appellatos indicos, ab aliquibus uerò Mestocalamos hoc eſt plenas harũdines, ab alijs etiã balitas, itemq́; fistulas denſas & teneras, ſigna eſſe aiunt loci aquam habentis. Similiter & hederam uirentem, quam aliqui malacociſſon hoc eſt mollem hederam cognominant, &

cucumerem ſylueſtrem, ampliusq́; hippurin, & quinque-ſolium pentaphyllon appellatum, & batrachium quam chryſanthemon uocant. Et *in uniuerſum quæcunque enata fuerint et nō plantata, ſed ſponte naturæ uiridia & florida ac denſa, ea ipſa indicio ſunt alimētum ipſis ab aqua ſuppeditari.* Quapropter *eiuſmodi ſignis fidere oportet ac fodere, ab ipſis ſignis inferius progrediendo, ſi inclinationem habeat locus, unde exuberantes fontes adipiſceris.* Cæterum *Hippuris ex etymo & rei ſimilitudine nomen traxit.* Eſt *enim ſimilis equinæ caudæ, folia habēs pilis ſimilia, & ipſum caulem prodeuntem à radice uſque ad ſummum tenuiorem.* Verum *ipſe caulis uacuus eſt uelut harundo, articulos habens diſtinctos, ex quibus articulis piloſa folia exoriuntur, at uerò ex re ipſa ſalpingion, hoc eſt, parua tuba appellatur.* Butomon *in paludibus naſcitur.* Folia *ſimilia populneis nigris habet, grata boum pabulo, ex una autem radice prodeunt.* Pentaphyllon *ramulos profert feſtucarum ſimilitudine dodrantales, ex quibus fructus prodit. folia habet ſimilia mentæ in ſingulis pediculis quina, rarò autem alicubi plura, circum circa ad ſerræ ſimilitudinem fiſſa.* Florem *uerò pallidum.* Batrachium *aut* Chryſanthemum *folia fert apio ſimilia, uerum maiora, florem auricolorem, tota herba duos palmos non excedit.* Malacociſſos *ſimilis eſt ciſſo, hoc eſt hederæ, mollibus eſt præditus folijs, & cauliculo ſe circūplicans quicquid tandem contigerit, nam ſeipſum ferre non poteſt.* Naſcitur *maxime in arūdinetis exciſis & terreis locis.* Cyperus *quam quidam zernam appellant, folia habet ſimilia carto, ubi recens ſunt enata, gracilia, cauliculū*

uelut

uelut iuncus,graciliorem tamen, in cuius uertice ſemen eſt uelut milium. Radices nigræ ſunt uelut oleæ, aromaticum ſaporem habentes. Harum porrò feſtucarum & herbarum omnium prædictarum ſigna ſi non contempſerimus, nunquam fodiemus in locis qui neque influentem, neque fontanam, neque puteanam aquam habent. Vbi enim herbæ illæ apparent, ibi aquam ſub terra eſſe ſignificant. Quin & ubi aſpectus ipſarum marcidus apparuerit, propius pauimento aquas indicant inualidas & non permanentes. Quæ uerò luxuriantis aſpectus & uiridiores fuerint, aquas ſubeſſe altiſsimas & durabiles ſemper protendunt. At uerò & pauimentorum ſoli genera contineri oportet. Etenim argilloſi & pumicoſi generis & ſquallente fluxu prædita, omnino aquoſa eſſe aiunt. Verũ neq; de glutinoſis, & lutoſis, & nigræ terræ, & pinguibus, calculoſaq́; ſegmenta concreta habentibus deſperandũ eſt. Atqui calculoſa non conturbata & confuſa in terra eſſe oportet, ſed ſecundum latitudinem inhærentia & inſita, atq; in uniuerſum terras diuerſi coloris ſemper cruſtuloſas ac denſas concretiones habere oportet. maxime uerò coitiones terræ inæquales concretiones habent. Cæterorũ petras ſubnigricantes eſſe oportet, ſi hos locos habere debent, ex quibus aquam expectamus, non ad ſimilitudinem uarorum, ſed habentes quippiam calloſum, & inſtar tofi concretum. Quin & quæ albam terram admixtam habent, ſitæ uerò ſunt in terra quales diximus, ſub ipſo autẽ pauimẽtorũ calcaneo inſitam eam ipſam habẽt, aquas ſignificant. Concretiones item petrarum inæquales, aquas habẽt etiam ſi non ſint in prædictis regionibus

ſitæ. In calculoſa igitur terra, nigraq́; ac denſa, & ſimiliter glutinoſa, riuos quos libadas diximus, multos & in ſuperficie eſſe oportet. quapropter in his cuniculos fodere conducibile eſt, ita ut riuos ſequamur. Hoc enim modo plurima aqua congregabitur. Verum in raris & petroſis locis etiamſi qualeſcunque reperiuntur fontes, inuentis contentos eſſe oportet.

Porrò aquæ ueſtigatorem etiam tali quopiam modo aquam ſcrutari oportet. Habeat itaque præparatum uaſculum plumbeum ſemiſphæricum, congij capacitate, accipiat'que lanæ hapſos molles duos aut tres lotos ac probe carptos, eosq́; lino obliget, ipſum uerò lini filum intra uas ad fundum eius cum ſera adglutinet. Sed & oleo uas illinatur, & in loco unde aquam ſperamuus, cõiectura facta ex oſtenſis antea ſignis, puteus effodiatur, altitudine cubitorum trium, in quo uas inuerſum ponatur, & circumpoſitis arundinum folijs uiridibus, aut alia quapiam herba, rurſus ad cubiti mẽſuram terra aggeratur. Idipſum uerò ſole occidente faciendum eſt. mane uerò rurſus terra auferatur, & herbis leniter amotis, uas ſubuertatur ac conſideretur. Si enim fuerint fontes, lanam plenam aqua reperies, & uaſculum plenum bullarum. Cognoſces autẽ et qualis ipſa aqua exiſtit, ſi ex lana expreſſam guſtaueris. Reperies tamen expreſſam ex lana dulciorem ipſo fonte, propterea quòd tenuiſsimum & leuiſsimum exhalet. Et de aquæ quidem ueſtigatione ſufficienter iam dictum eſt.

De aquis, & quomodo pluuiam aquam colligere oporteat. Diophanis. CAP VI.

Aquarum

AQuarum præ omnibus curam habere oportet, non ſolum propter aquæ fructum, ſed etiam quòd tempe=ratiſsimum aërem faciat ſiccitatibus obortis. fortunatum igitur ualde eſt fontanam aquam habere, quæ ſi deſit, plu=uiales colligantur in noſtrum totiusq; familiæ uſum ſuffi=cientes, non uelut quidam facere ſolent, in ſtabulum ubi pecus ouillum & reliqua animalia ſtercoribus locos cortis ac ſtabulorum replent, ſed in donubus, in quibus etiam di=ligenter eaſdem purgare & aſsidue oportet, puram uero aquam in puteos per ligneos canalium ductus conuehere. Salubrem autem aquam facit laurus in ipſa madefacta. Vi=tioſa uero aqua ſic eſt curãda. Infundatur in dolia, & ſub diuum exponatur donec reſederit, & leniter in alia uaſa diffundatur, relicta fece ſubſidente.

Quòd in magnis agris denſos arboribus mon tes habere oportet. & quomodo ſint con=ſerendi. Apuleij. CAP. VII.

PRæſtat quidem mõtem ſyluoſum ſponte naturæ pro=ductum in agro copioſum habere, qui ſi non contin=gat, non difficile eſt etiã montes ſyluoſos plantare. Etenim ſyluestrium arborum ſemina ſunt, quæ diſseminata ſyluam producere poſſunt, ſed in ſiccis locis id non ualde ſuccedit. Salices enim & myricæ & populi, & abietes, & fraxini, & ulmi, omniaq́; conſimilis generis humectis locis gau=dent, Pinus uero etiam in arenoſis floret. Solas uero puni=cas malos ac oleas, etiam in aridioribus locis uehementer uberes prouenire experimentum docuit. Quercus & ca=ſtaneæ Iouis glandes appellatæ in locis aſsiduam pluuiam excipientibus deponantur.

Qualis terra præſtantior.

Beritij. CAP. VIII.

OPtimum ſolum terræ nigræ eſt, & ab omnibus præ alijs laudatum. Nam & hymbrem fert, & ſiccitatem. Conſequens eſt terra fulua, & quæ flumine rigatur, limoſa & uliginoſa appellata, item dulcis & calida. Hæ enim ad uites, & ad arbores, & ad ſata, aptitudinem habere cognitæ ſunt. Sed & profunda terra laudatur, maxime ſi friabilis ſit & tractabilis, operiq; non repugnans, ad ſolam tamen arborum fertilitatem apta exiſtit. Quin & rubra ad reliqua optima eſt, ad arbores tamen producendas inepte habet.

De terra probanda.

Anatolij. CAP. IX.

PRobatio optimæ terræ fieri poteſt etiam ab aſpectu, hoc eſt, ſi in ſquallore non ualde rumpatur, neque ſi hymbres uberes impetuoſiq; deciderunt, cœnoſa fiat, uerum omnem pluuiarum aquam in ſinum ſuum excipiat. & ſi non frigoris tempore dorſum ipſius teſtaceum appareat. Hæc enim ut plurimum bona iudicari poteſt. Pulcherrimum etiam alium modum probationis ueteres inuenerunt itidem oculis ſubiacentem. Si nanque magnæ & ſyluoſæ ſint arbores ſylueſtres ex ipſa naſcentes, abſolutiſſima pronunciari poteſt. Si mediocres, media. Si uero ſpinas & ſarmenta tenuia producat, & herbam breuem, imbecilla hæc eſt, & non multi precij. Alij uiſus iudicio non contenti, etiam ex guſtu experimentũ inuenerunt huiuſcemodi. Effodiunt in altum, indeq; aliquid terræ extrahunt, & ab olfactu quidem meliorem experiuntur. Verum eo modo

modo non contenti, ipſam in uas conijciunt, & affuſa potabili aqua, etiam ſaporis ex guſtu periculum faciunt. Qualis enim aqua ſapore apparuerit poſt mixturam, talis & terra erit. Oportet igitur in ſatis pedali altitudine contentum eſſe, In uitibus uero, trium pedum. In arboribus quatuor. Quidam dulcem terram conicctant & ex naſcentibus in ipſa iuncis holoſchœnis appellatis, aut calamo ploto, id eſt natatili dicto, aut rubo. His enim & aquæ ueſtigatores fidem habere ſolent. Cæterum exactior probatio ex ſapore contingit. Salſamq́; terram fugiendam eſſe omnibus ueteribus uidetur. Quum enim in ſtercore ſalem fugiamus, & amurcam ex oliuis ſale non conſperſis, arborum radicibus affundere rerum experti præcipiant, & ſterquilinia dulci, non ſalſa aqua rigemus, manifeſtum eſt quòd ſalſam terram improbent ad omnia ineptam præterquàm palmæ fructus, quos optimos & fertiliſsimos producit. propter hoc enim & in noſtris locis ſolus palmæ fructus fertilitate præſtat, quandoquidem omnes hi ſalſuginoſi exiſtunt. Quare in ſalſa terra palmas plantare oportet, aut uitare, aut quantum poſsibile eſt curare, ſalſi ſtercoris uſu ad terræ dulcis mixturam. At uero fœtidam terram penitus fugere oportet, ut quæ omnibus inutilis exiſtat.

Aliud de probatione terræ. Diophanis.

Alij optimam terram ſic probant. Scrobem fodiunt, & bonam terræ partem extrahentes, poſtea rurſus terram in foueam inijciunt. Et ſiquidem iniecta terra foueam explcuerit, aut redundarit, optimam terram iudicant. Si uero iniecta terra fouea non expleatur, non bonam eſſe

terram

terram pronunciant.

Qualia ſemina in profunda terra, qualia in media, & qualia in tenuiore ſerere oporteat. Tarentini. CAP. X.

FRumentum quidem in profunda terra & campeſtri ſeminare melius eſt. Hordeum uero in medio modo habente. Legumina in tenuiore. Poßunt autem & in campeſtri legumina ſeri in ſequenti tempore à frumenti meſſe. ſeminata enim terram recreant & alleuant utpote tenues radices agentia, excepto cicere.

Qualia ſemina humida exiſtente terra, & qualia in arida ſerere oportet. Leontij. CAP. XI.

ORdeum terra non humida, ſed circum arida magis exiſtente ſerere oportet. frumentum uerò in lutoſam & humidam terram ſeminandum eſt. In tali enim magis augeſcit. Verum ſatio frumenti non eſt procraſtinanda. Fabas autẽ & piſum lutoſá terra ſerere cõuenit. In arida enim conciduntur priuſquàm enaſcantur, & pereunt. quæ uero non conciduntur, degeneres fiunt. Reliqua legumina ſuſtinent quidem in aridam terram ſationem, Verum meliora etiam ipſa fiunt & generoſiora in irriguam ſeminata.

De tempore ſationis frumenti & ordei. CAP. XII.

SAtio præcox omnibus præſtat, uerum maxime profundam terram anticipare oportet, ſi parum aëris pluuioſi fuerit nacta. Ab autumno igitur per totam hyemẽ quibuſdam uidetur ſementis recte fieri in frigidioribus locis, ad

Idus

Idus uſq; Martij, atq; etiam uſq; ad æquinoctiũ uernum, hoc eſt, ad octauum uſq; Calendas Apriles. Quidã uero diligentiores hac parte, ſementis tempora hoc modo diſtribuerunt. Nempe quòd congruum ſit ordei ſationẽ inchoare ab æquinoctio autumnali, quod eſt ad octauũ Calendas Octobres. frumenti uero à pleiadum occaſu, qui ad quartum Nonas Nouembres contingit. Hoc & Vtillius comprobat. Ceſſare uero ab utriuſq; ſatione ſolſtitio hyemali, quod eſt ad Nonum Calẽdas Ianuarias. At uero Democritus naturalem quandam obſeruationem tradens, circa Coronæ maxime occaſum ſeminare conſulit. Etenim tũc non ſolum hymbres multi emitti ſolent, ſed & ipſa terra naturalem quendam & ſuſceptorium motum habet, ad ea quæ tunc ſata ſunt fertiliora efficienda. Incipit autem Coronæ occaſus ut plurimum, in regionibus circa Phœnicen, ad ſeptimum Calendas Decembres. Oportet autem ſeminatorẽ boreales dies, & ualde frigidos uentos habentes deuitare. In his enim terram concluſam, & uelut horrentem, ſemina non ſuſcipere manifeſtum eſt. In ſerenis uero diebus, hoc eſt auſtralibus, aut aliàs leniter ac remiſſe calidis, tum ſtatim ſemina ſuſcipere, tum ad radicem agendã eadem cõcitari, & plenos fructus facere. Aliqui uero ſementem augeſcente Luna à quarta uſque ad plenam, hoc eſt quindecim dierum, facere conſulunt. Quidam ſecuriorem uiam excogitantes non omnem ſationem præcocem faciunt, ſed in bina, & tria, & quatuor tempora partiuntur, futuri temporis incertitudinem hoc modo deuitare ſtudentes.

Prænotio qua ſcitur qualia ſemina uiridia & fertilia ſint futura. Zoroaſtræ. CAP. XIII.

Quidam

QVidam igitur ſemina uiridia & fertilia futura ſic prædiſcunt. Paucis diebus ante caniculæ exortum in quopiam loco de unoquoque ſemine paululum probationis accipiendæ gratia ſerunt. Quum igitur exoritur Canicula, quædam ex ſatis ut ueriſimile eſt, lædit, quædam nequaquã. Hoc igitur ſignum ſtatuentes, ea quæ in eius ortu illæſa manent ſerunt, relinquunt autem incuruata. Eſt autem Canis exortus decima nona Iulij menſis. Cæterum quæ experimenti gratia ſeremus, ea uiginti aut triginta diebus antea rigabimus, quò uidelicet eò commodius naſci poßint.

De ſeminis electione, & qualia eſſe oporteat ſemina quæ terræ mandamus, & de eorundem ætate.

Vindanionij. CAP. XIIII.

FRumentum quod ſeremus eligendum eſt generoſum, plenum, ſolidum ac leue, colore uero ad aurum inclinante, & quod utilißimum ac gratißimum eſt, hoc uero ex panificio cognoſcitur. Fugiendum contrà contuſum & rugoſum. Ordeum autem plenum, craſſum, recens, album, & quàm grauißimum, & non contuſum. Sed & alia omnia ſimilia prædictis eſſe oportet. Quidam pleniores ſpicas eligunt quæ grana habent ſolida & perfecta, eaq; in ſementem reſeruant, præſtantiorem fructum ex his capientes. Semen optimum eſt annuum bienne minus, trienne peßimum, uetuſtius uero infrugiferum.

Quòd ex contrarijs locis in contrarios locos ſemina iacere oportet.

Didymi. CAP. XV.

Quidam ad fertilitatem conferre tradunt, ut ſemina in contrarios locos ſerantur, uelut ex montanis in campeſtres, ex humidis in ſquallidos, & uice uerſa. Eſſe enim contrariorum appetentiam æqualiter & in ſeminibus & in terra. Quod tamen ſic fieri oportet, ut ex deterioribus regionibus in meliores transferamus, non ex præſtantioribus in peiores.

Vt ſerenda ſemina nullo modo poſt ſationem iniuria afficiantur.

Aphricani. CAP. XVI.

Semina in ſemperuiui herbæ ſucco rigata ſerito. Ita enim neque ab auibus, neque ab muribus, neque formicis lædentur, ſed etiam præſtantiora generabuntur. Si uero modicum frumentum ueratro ammixtum foris per ambitum ſeminaueris, ſata ab auium iniuria uindicabis. Si cãcros fluuiatiles aut marinos, hoc eſt paguros, in aquam coniectos ad dies octo ſiueris, & hac aqua foris ſata ipſa conſperſeris, neque ſemina neque plantæ ab auibus lædentur. Si folia cypariſsi contuſa ſeminibus ammiſcueris, incorroſa ſeruabuntur. Quidam cerui cornu aut elephantis ſiccum aſpergunt, alij aqua madefaciunt, atque ita ſemina irrorant. Apuleius teſtatur ſemina uino conſperſa minus eſſe ægrotatura. Aqua etiam & amurca ſi irroraueris ipſa, maxime iuuabis. Præſtabile eſt & naturalibus uti. Si in menſuram, qua ſemen aliàs metiri ſolemus, ſerenda ſemina inijciantur, & hyenæ pelle contegantur, poſt aliquot dies tranſumpta ab animali naturali potentia & odore, à nemine facile lædentur. Si poſt ſationem & ubi terra iam obruta fuerint ſemina,

na, mod

na, modicum frumentum ueratro ammixtum prope ſeminaueris, quæcunque aues guſtauerint morientur. Eas ipſas igitur mortuas auiculas arreptas et harūdini affixas ex pedibus, ſuſpēdito, & impoßibile eſt ut de cætero auicula accedat. Si radices ſylueſtris cucumeris cōtuſas totam diē et noctem aqua maceraueris, eamq́; aquā ſeminibus aßidue irroraueris, deinde pallio uelata ſequenti die ſeminaueris, non lædentur ſata, ſed & meliora euadent. Vitiæ ſatæ non corrodentur, ſi parum ſeminis fœnigræci ipſis dum ſeruntur commiſcueris. Virgilius aqua, & nitro ſata irrorare probat. Incorroſa autem manent & quæ Luna ſemiplena ſeminata ſunt. Apuleius ait priuſquam aruum fodiatur, ranam rubetam phrynon Græcis dictam, noctu circum ipſum geſtandam eſſe, & in uaſe fictili concludendam, atque in medio aruo adobruendam. Verum tempore ſationis inſtante refodiendam eſſe, & extra aruum eijciendam, ut ne fructus amarus fiat. Idem Apuleius tradit ſeminibus lentem modicam ammiſcendam eßse dum ſeruntur. Natura enim reſiſtit aduerſus impetus atq; moleſtias uentorū. Quin & urina ueteri ac ſtercore canino ſimul ſolutis, ſi ſemina madefeceris, aut arbores, aut uites, omnia illæſa conſeruabis.

Quid faciendum, & quid non, ut ſemina fertilia euadant. Sotionis. CAP. XVII.

INſcribito in aratro Raphaël, & quum nouas, & quū conſeris terram, & regio fertilis euadet. Aiunt & ad ubertatem conferre, ſi ſemina in contrarios locos ſerantur, uelut ex montanis in campeſtres, & uiciſsim. Quidam auium ſtercus, præſertim columbarum fertilitatis

gratia

gratia ammiſcentes ſeminant in ſqualidis locis. Verum hoc ipſum deuitare oportet, ne ſemina comburantur. Seminantem autē obſeruare oportet, ne ſemina boum cornibus incidant, hæc enim ſemina quidā Cerasbola ab ipſo facto uocant, aiuntq́; & ſterilia & imperfecta ac inutilia talia generari, adeo ut neq; per ignis uim edomari poſſint. Plurimum diffundetur & ampliabitur ſemen, ſi cribrum ex lupina pelle factum fuerit, habens foramina triginta ea magnitudine ut digitus tranſmitti queat.

Quo deprehendatur an ſata modo competente & iuſtam ſymmetriam habeant. Pamphili. CAP. XVIII.

DIducito digitos manus, eosq́; imprimito in terram, & ſublata deinde manu, multitudinem ſeminum in impreſſo digitorum typo conſyderato. Etenim in frumēto numerum ſeminum ſeptenarium ſummum eſſe oportet, minimum quinarium. In ordeo uero nonarium & ſeptenarium. In fabis ſenarium & quaternarium. Quæ uero mediū inter hos numerum habebunt, palàm eſt quòd iuſtam ſymmetriam tenebunt. Cæterum in terram quæ aßiduas niues perpetitur, ſemina craßius iacienda ſunt, propterea quòd aliqua glacie corrumpantur.

De ſtercore. Quintiliorum. CAP. XIX.

BOnam terram ſtercus meliorem facit, Vitioſam autē amplius iuuabit. Bona igitur terra ſtercore multo non habet opus. Media, paulò ampliore. Tenuis uero & imbecilla, multo. Non aceruatim autem, ſed denſius ſtercorandum eſt. Cæterum terra non ſtercorata, riget: amplius ſtercorata, comburitur. Oportet autē eum qui plan-

tas ſtercorat, non ſtatim ad radices ſtercus inijcere, ſed primum terram immittere ſufficientem & tenuem, deinde ſtercus, & poſtea rurſus idipſum terra occulere. Ita enim neque comburentur plantæ, non iniecto ſtatim ipſis ſtercore, neque caliditas ab ipſis euaporabit, non contectis à ſola terra. Optimum porrò ſtercus eſt auium omnium, præterquàm anſerum & aquaticarum uolucrum, propter humiditatem, quanquàm & hoc ipſum alijs mixtum utile erit. Præſtat tamen omnibus columbinum multa caliditate præditum. Quapropter aliqui non præparantes ipſum, ſed quale eſt ſinentes, unà cum ſemine in aruū iaciunt rarius. Commodum enim fit impotenti regioni, ipſam & nutriens & potentiorem reddens ad ſeminum excretionem, & nutritionem; ſed & gramen abunde extirpat. Secundum locum à columbario obtinet ſtercus humanum, aliquo modo illi adſimile, priuatim autem omnes herbas corrumpit & perdit. Præparant autem ipſum in Arabia hoc modo. Vbi ſufficienter exſiccarunt, poſteà aqua macerant, rurſusq; ſiccant, atque hoc uitibus aptiſsimum eſſe affirmant: præſtat autem propter abominationem rei, aliorum ſtercorum mixtura eius odium mitigare. Tertia laus aſinino debetur, ut quod fertiliſsimum natura eſt, & omnibus maxime plantis commodius exiſtat. Quarto loco habetur caprinum acerrimum exiſtens. A' quo conſequens eſt ouillum, quod pinguius exiſtit. Poſt hæc uero bubulum. At uero ſuillum his præſtantius exiſtens, ſatis ineptum eſt, ob multam ſuiipſius caliditatem. Perurit enim ſtatim ſata. Viliſsimum autem & omnium deterrimum eſt ſtercus equorum

rum

rum & mulorum ſolum per ſe, acrioribus tamen utiliter ammiſcetur. Illud *præ omnibus obſeruare oportet, ne annuo ſtercore agricolæ utantur.* Hoc *enim nullius utilitatis eſt, & ad ea quæ affert detrimenta, etiam plurimas beſtiolas & ſerpentes gignit.* Triennale *& quatuor annorum ualde bonum eſt.* Longiori *enim tempore quicquid fœtidum inerat euaporauit, & ſi quid durum erat emollitum eſt.* Quòd *uero augeſcente luna agros ſtercorare non oporteat, ut ne multum herbarum excretionem adadiuuemus, etiam alibi abunde docuimus.*

Stercoris præparatio.

Florentini. CAP. XX.

Q*Vidam magnam & altam foſſam effodiunt, eoq́; omne ſtercus tum præſtantius tũ deterius deferunt, ac putrefaciunt. Sed & cinerem furnorum, & cœnum, & omnium animalium ſtercora, & præ omnibus humanum, & quod maximum eſt, & per ſe magis iuuans, omnes plantas, & imprimis uites, & urinam humanam affundunt.* Imò *etiam coriariorum retrimenta ac ſordes ſuperinijciunt.* Multi *etiam ſtipulam poſt meſſem euulſam pecori ſubſternunt, quo conculcata & per urinam computrefacta ſtercus fiat, & cum prædictis omnibus in foßã demergunt.* Quin *& ſi cœnoſa aliqua immundicies, ſiue etiam ex paleis, ſiue ſpinis, aut lignis, aut ſarmentis cinis fuerit, etiam hunc adijciunt.* Sed *& algam è mari unà cum adhærẽtibus ſordibus eiectam, aqua dulci diligenter elotam immiſcent.* Et *poſt omnium prædictorum in foßis mixturam, aquam dulcem ſuperingerũt, quo citius omnia computreſcant.* Poſt *hæc uerò ſarculis eo uſque mouent,*

donec totum commixtum & unitum ſtercus ſucculentum fiat. Valde autem prodeſt hymbrium riuos ex uijs ad ſterquilinium deriuare. Hæc enim aqua limoſa exiſtens & turbata, ſtercus iam inſitũ augebit, & multa putrefactione addita melius reddet.

Quali tempore unamquanque terram manſuefacere oportet. Varronis.

CAP. XXI.

NOn eadem eſt omnis terræ manſuefactio, ſed denſa et radices ac frutices plures habens in altum foditur, per familiaria cuiq; regioni inſtrumenta, uehemẽtibus ſiccitatibus urgentibus. Friabilior enim tunc fit terra, & radices à ſolis uehementia exuruntur, ut amplius radicem agere nequeant.

Sed & profunda terra, & ſolida, & grauis, ſimiliterq; pinguis, eodem modo in ſqualore uerſæ, non parum iuuantur. Verũ tenuis terra à ſole exuſta cineréſcit, omnemq; quã in ſe habet pinguetudinem perdit, utpote quæ ab ardore perſlatur, & in uaporem abit. Quare hanc circa æquinoctiũ autumnale manſueſacere oportet, nõ ligonibus, neq; ſarculis, ſed aratro, & ſtatim inſuper ſtercorare. Huic enim uel maximè auxiliatur ſtercoris multitudo.

In Arabia tamen tenuem terram nouare recuſant, tanquã parũ fortem, & quæ ex nouatione arata humore priuetur. Priuſquàm igitur nouant ſeminantes ordeum in Gordato loco appellato, ſæpe magnã fertilitatem conſequuti ſunt, præſertm pluribus hymbribus delapſis. Similiter autẽ uelut tenuẽ terrã, etiam fuluã, & rubrã, & arenoſam, & nigram, & albam, & aridam & leuem, & ar=

gillæ

gillæ albæ, & in collibus ſitam, coles per hyemem. Salſam uerò in hyemis initio pluuia prægreſſa, paruis aratris mouebis, & paleis conſperges, præſtiterit quidem fabaceis. Hæ enim inter paleas principatum tenẽt, deinde etiã ordeaceis & frumentaceis. Etenim ex harũ computrefactione ſalſa terra mãſuefacta & dulcis effecta, nõ amplius per aërem ſalſam humiditatẽ, uelut ſolet, remittit. Deinde ſines eam per totũ annũ, & autumno ſtercorabis ſtercore bubulo et equino, utpote quæ dulciora exiſtunt. Poſteà conſeres ordeo & leguminibus non altè radices agentibus. At uerò eam quæ in montanis & tempeſtuoſis, umbroſisq; ac borealibus locis ſita eſt, per æſtatẽ & in ardoribus coles ſimiliter ut profundam, quam ligonibus fodere melius eſſe prædiximus. Quòd ſi operatio per ligones conſeminandæ terræ magnitudini non reſpondeat, etiam arare ipſam per æſtatem poſſumus à ueſpere exordio facto per totam noctem, uſq; ad exortum ſolis, quo humiditas & pinguitudo obumbrata ſub gleba permaneat, et ne boues à ſole peruſti ægrotent, & facilè operentur, terra ipſa ex nocturna cultura paulò teneriore reddita. Cæterum aratorem non duos, ſed quatuor boues coniugare oportet, ac facere iugum geminatum, Græcis διζυγίαν appellatam, iterareq; ac tertiare, ac uomere grauiore uti, quo hoc modo pinguitudo terræ graui opere deprimatur, & glebis adobruatur.

De ſarritione poſt ſationem, & herbarum runcatione. Leontij. CAP. XXII.

OPtimum eſt ſata per homines ſarriri & adobrui ut omnia probè contegantur. Quod ſi fieri non poteſt,

per boues ſarriatur. Quando uerò iam glebam ac ſulcum occultare ac contegere cœperint, id fiat, quo & agreſtes herbæ diſsipentur, & nudatæ ab aquis radices adobruantur. Bis quoque ſi ſarritio fiat, geminata erit utilitas. Quando autem ſpicas emiſerint, runcentur.

Sic etenim fructus puri & multæ commoditatis perficientur, quum non amet terra herbas peregrinas iugiter coalere.

Quando metere oporteat.

Florentini. CAP. XXIII.

QVum partes quædam ſolis flaueſcere inceperint, omnes fruges demetito, & maximè ordeum. Verum multo citius legumina metere oportet, facilius enim coquentur & dulciora fient. Non igitur expectandũ eſt donec omnia in uigore exiſtant. Si enim quis eouſque cunctetur, quæ primum arefacta ſunt, perdet, in metendo nanq; excidunt & dilabuntur. Durabilior itaq; eſt fructus ſiccatus, uerum copia paucior. Qui uerò flaueſcit, etiam in cibo iucundior eſt, & paleæ ex eo etiam pecori gratiores ſunt. Cæterum omnes fruges adhuc roſcidas ſub diluculum ſedulò ac feſtinantius colligere oportet.

At uerò uentilatum ac cribratum frumentum ſiue ordeum unam atq; alteram diem, aut omnino unam noctem in area relinquere oportet, & deportare ante ſolis exortum ut adhuc perfrigeratus fructus in hordeũ deponatur. Hoc enim multum ad diuturnitatem confert.

De areæ præparatione.

Didymi. CAP. XXIIII.

AReam in alto loco conſtruere oportet, quo prompte

uentum

uentum ſuſceptet, præ omnibus uero cauēdum eſt ne area ſecundum uentum domorum aut hortorum conſtituatur.

Etenim uenti tenuiſsima quæque ex paleis citra animaduerſionem hominum oculis inferentes pupillas peruſerunt, ut ex eo multi altero, alij utroq; oculo ſint priuati. Lædunt autem paleæ etiam fructus autumnales foris non lignoſos, & maxime uites. Quemadmodum enim ſtercus, ſic etiam paleæ, radicibus quidē conferunt, ramulis uero & folijs nocentiſsima exiſtunt. Neq; uero minus & ipſa olera lædunt, adhærentes enim folia perforāt, ſtatimq́; comburuntur hæc perforata. Oportet autem aream aſsidue amurca conſpergere & madefacere, inſuperq́; cylindro leuigare. Sic enim formicæ nō iniuriabuntur. At uero fruges in areā poſitæ, ſectionis ſuæ partem ad meridiē conuerſam habeant. Erunt enim inde pleniores, faciliusq́; tribularum pulſationibus excutientur.

De horreo ſiue ſede frumentorum, & de frumenti diuturnitate.

Tarentini. CAP. XXV.

FRumentum probe concluditur in locis ſupra terram, qui lumen ab oriente habent, adſpiretur item locus moderate à borea & fauonio, & auertatur ab auſtro & eiuſmodi uentis. Habeat autem denſos ac frequētes canales, per quos & calidus uapor expiret, & aura refrigerans inſpiret. Nec habeat humiditatem aut graueolentiam aliquam, aut halitum iniucundum, maxime autē ab equorum & boum ſtabulis alijsq́; eiuſmodi, atque omni caliditate procul abſit. Illinantur parietes luto, cui pro paleis pili ſint ammixti, deinde argilla

alba intus & foris obducantur. Poſt hæc cucumeris ſylueſtris radices & folia ad biduum aqua macerato, & cũ aqua calcẽ arenariam ſubigito, indeq́; internas partes diligenter oblinito. Quidam etiã ad calcem pecorũ urinam ammiſcent, tanquàm quæ animalia necet. Sed & teſtaceam calcẽ quæ pauimento inducitur lotio macerãt. Quidam cinerem ſarmentorum quercus eadẽ gratia frumento inſpergunt, alij boum ſtercus aridũ. Alij abſinthij aut abrotoni arida uirgulta imponunt, ampliusq́; folia ſemperuiui herbæ aridæ. Præſtat autẽ calcem arenariã amurca ſubigere. Hæc enim & beſtiolas omnes corrumpit, & frumentum ſolidius ac denſius facit. Quapropter aliqui amurcam ad dimidias decoctam parietibus aſpergunt, atq; ubi inaruit fruges inferũt ac deponunt.

Omnibus porrò præſtat, terram perfrigeratam argilloſam, aut mali punicæ folia arida & cribrata, antea præparata habere, & quum frumentum deponitur, ad ſingulos frumenti medimnos, argilloſæ terræ chœnicẽ, aut foliorum tantundem inſpergere. Vtiliſsimũ uero conyzam ſemifrigefactam in pauimentum frumẽto ſubſternere, & poſt diffuſos decem medimnos rurſus conyzam integere, & rurſus frumentum ſuperingerere, donec totum deponatur. Quod enim hoc modo depoſitum fuerit, non ſolum in multos annos à putredine immune perſeuerat, uerum etiam idem pondus ſeruabit in panificio. A natura autem frumentum ueteraſcens ualde nigreſcit & amarum euadit, quare relata cura opus habet.

Vt augmentum capiant repoſita in horreis ſemina. Aphricani. CAP. XXVI.

Frumen

FRumentum ſupra menſuram augmentum ſumet hoc modo. Nitrum & ſpumam nitri terito, & ad tenuem terram ammiſceto, & ſic aceruis adijcito. Eadem res etiam integrum & illæſum frumentum ſeruabit.

Ne formicæ frumentarios aceruos contingant. Sotionis. CAP. XXVII.

FOrmicæ ſemina non contingent, ſi aceruum terra alba circunſcripſeris, aut origanum ſyluestre circumpoſueris.

De ordei diuturnitate, & quomodo ſanum in horreis conſeruetur ad multum tempus. Damagerontis. CAP. XXVIII.

ORdeum incolume ſeruabunt lauri fertilis folia ſicca, & omnis cinis, præſertim à lauri ligno impoſitus. Similiter ſeruat ordeum ſemperuiuum herba ſiccata cum calamintha, & unà cum gypſo ordeo admixta.

Quidam uas aceto plenum & contectum operculo, in medio ordei ponunt. Verum noſſe oportet ordeum ueteraſcens amarum fieri.

De farinæ diuturnitate. Florentini. CAP. XXIX.

FArinæ incolumes perſeuerant ad tempus, tedis pinguibus contuſis & in ipſas iniectis. Quidam uero cuminum & ſalem ex æquo terentes, & maſſas aridas inde facientes, eas in farinam imponunt.

De frumenti probatione, & quomodo æquilibrē panis ad frumentū expenſionē facere oportet. Didymi. CAP. XXX.

FRumentum incorruptum diligenter purgatũ ac cribratũ ad librã expẽdito ac ponderato, & ſi repereris modiũ habere libras quadraginta, eaſdẽ libras panis exigito. Quantũ enim ex furfurũ detractione decedet, tantum in molitura & reliquo opificio aſperſa aqua addet. Cæterũ ipſa panis aſſatura decimam & uigeſimã ponderis partẽ aufert, quare in aſſatura de decem libris una cũ dimidia decedet. Idem autẽ pondus propter aſſaturam detrahere oportet, tum in puris, tum in ſecũdarijs panibus.

Quomodo panis iucundiſſimus etiam citra fermentum paretur. Didymi. CAP. XXXI.

QVidam panem citra fermentum faciunt, nitrũ adijciẽtes. Etenim Nitrũ panes friabiliores facit, uelut etiam carnem. Alij abſque fermento panem ſic faciunt. Vuas pridie quàm panẽ faciant in aquam conijciunt, & ſequenti die ubi panẽ facere uolunt, innatantes tollunt ac exprimunt, effluenteq́; humiditate pro fermento utuntur: & panes faciunt iucundiores & ſplendidiores. Si uero in totum annũ fermentum habere uelis, quum in dolijs muſtũ ebullierit, ſpumoſum illud quod efferbuit acceptũ cum farina milij cõmiſceto, diligenterq́; trita in maſſas cogito, quas ad ſolem ſiccatas in humido loco repones, & inde ſufficienti accepta quãtitate pro fermẽto uteris. Omnes autẽ panes abſque fermento facti efficaciſſimi ſunt ad uenerem ſtimulandum. Cæterum Florẽtinus ait, clibanitẽ panem ſub textu in clibano coctum, graciliter efformatũ, & in ſole arefactũ facile concoctilem eſſe. Verum in furnis coctũ, grauiorẽ concoctionem reddere.

De Ptiſana

De Ptiſana. Didymi. CAP. XXXII.

ORdeum purgatum ac decorticatum in ſole ſiccato, rurſusq́; piſtatum rurſus ad ſolem ſiccato. Vbi autem reponere ipſum uoles, id quod ex ipſo tenue in piſtando deceßit, ei aſpergito. Hoc enim ipſum cōſeruat. Quòd uerò ptiſana humidior accepta maximè nutriat, retulit Florentinus.

De fabis. Eiuſdem. CAP. XXXIII.

FAbæ ſemen caue ne ponas circa arboris radicem, ne arbor areſcat. Oportet autem fabas ſerotinas plantare. Gaudēt enim lutoſa terra. Quo uerò ad coctu-ram commodæ fiant, pridie quàm conſeras, ipſas in aqua nitroſa macerato. Cæterum Phyſici aiunt fabas hebetare corda eorum qui eis ueſcuntur. Quare & rectè ſomnia impedire eas putant, ſunt enim flatuoſæ. Aiunt & domeſticas gallinas ex aßiduo ipſarum eſu ſteriles fieri. At uerò fabas edere non oportere, Pythagoras inquit, propterea quòd in flore ipſarum lugubres literæ reperiantur. Tradunt autem fabam eroſam rurſus expleri luna augeſcente. Eandem etiam in ſalſa aqua nūquam coqui, unde neque in marina. Primus à fabis abſtinuit Amphiaraus, uaticinationis per ſomnia gratia. Circunferuntur etiam Orphei uerſus eiuſmodi:

Ὀ miſeri à fabis miſeri ſubducite dextras. Et,
Par facinus fabis ueſci, capite atq; parentis.

Porrò fabæ marina aqua rigatæ & reſperſæ, integræ & illæſæ permanebunt. Similiter et magudaris, hoc eſt radicis ſilphij ſiue laſeris cremore.

De cicere. Florentini. CAP. XXXIIII.

Si pri

SI pridie quàm ſeminaturus es, cicer aqua tepida maceraueris, maius naſcetur. Quorundam ſuperuacanea cura eſt, qui maius cicer eſſe uolentes, unà cum corticibus ipſum ſimiliter præmaceratum, addito nitro in aquam, ſerunt. Quòd ſi præcox cicer facere uelis, ipſum circa hordei tempus ſeminato. Quo uerò uigoris tempore nemo ipſum comedere poßit, cucumeris ſylueſtris et abſinthij ſemine ex aqua tritis, per dies quinq; ſub diluculum irrorato. Etenim ros per quinq; rurſus dies eluit omnem ex ipſo amaritudinem.

De lente. Eiuſdem. CAP. XXXV.

LEntes bubulo ſtercore arido ante ſementem oblitæ, meliores & citius naſcentur. Lenticula uaginulis maior fit, ſi aqua tepida addito nitro macerata ſeratur.

Putredinis expers permanet: aceto laſeris ſuccum ammixtum habente conſperſa. Aegyptia lens in cibo accepta lætitiam affert & conciliat.

De milio. Eiuſdem. CAP. XXXVI.

MIlium limoſa & humida terra gaudet, arenoſa etiã ſi frequentius rigetur. Modicũ autem eius ſemẽ, omnem regionem replet. Verum ſarriri & runcari aſſiduè expetit. Seminatur ab æquinoctio, quod eſt ad octauum calendas apriles. Si uerò denſius ſeminetur, nocebit. Iugerum enim amplius quàm manus plenæ mẽſuram non ſuſcipit. Quare in ſarriendo ipſum euellere oportet. Hoc enim modo tractatum, iugerum proferet modios indubitatè quadraginta.

De lupino. CAP. XXXVII.

LVpinum præ alijs ſerere oportet poſt æquinoctium

autumni

autumni,nõ expectatis hymbribus.Prius quàm floreſcat, boues in ipſum impellito,omnem enim aliam herbam depaſcent,ipſum lupinum autem non attingent,uelut amarum. Apuleius ait, quòd ſingulis diebus circumagatur cum ſole,& ruralibus horas diei indicat,etiam ſi nubiloſus ſit aër. Dulce fit aqua marina,& fluuiali ad triduũ maceratum:ubi uerò cœperit dulceſcere, ſiccatur & deponitur,pecoribusq; cum paleis pabuli loco exhibetur.

Farina hordei aut frumenti ammixta, panificio aptum exiſtit. Eſt autem in imbecillem terram ſemunandũ,neq; opus habet ſtercore,ipſum enim terræ ſtercorationem exhibet,nam omnem debilem terram ſtercorat, & in poſterum fertilem facit.floret tertiùm. Metitur poſt pluuiam, arefactum enim ex uaginulis exiliens perit. Tritum & umbilicis impoſitum, lumbricos expellit. Seratur autẽ non in altum,nam & neglectũ floret,quemadmodũ Capparis. Fugit autem,ſi quem ſentit colentem regionem.

De omnibus leguminibus,& cannabe,& lino. Quintilianorum. CAP. XXXVIII.

LEgumina in obarido ſolo ſeri expetunt, præter fabas.Hæ enim locis humectis & humorem continentibus gaudent. Cannabis autẽ cauis locis delectatur,& omnino humectis. Seritur ab Arcturi exortu,qui eſt ad quartum calendas apriles. Linum ſimiliter limoſis locis gaudet:ſeritur ab æquinoctio autumnali,uſque ad arcturi exortum,qui eſt pridie nonas Ianuarij.

Vt facile conquantur legumina quæ ſumus ſeminaturi.

Democriti. CAP. XXXXIX.

In

IN ſeminando unà cum ſtercore et nitrum ammiſcebis: ſic enim parata ipſa ad cocturam facies. Quod ſi non ſuccedat ubi hoc feceris, uelisq; legumina breui percoqui, parum ſinapis in ollam inijce, & ſtatim quæ coquentur, diſſoluentur, ſiue carnem, ſiue legumina coxeris. Si uerò amplius quid de ſinapi inieceris, penitus diſsoluta euaneſcent.

De herba leone, quam & orobanchen uocant. Sotionis. CAP. XL.

LEguminum leo, oſproleon Græcis, item orobanche appellatus, non proueniet in aruis, ſi in quatuor angulis, & in medio aruo rododaphnes ramulos infixeris.

Hoc autem pacto omnia legumina incolumia ſeruabis. Si uerò uelis hanc herbam in totum non apparere, quinq; teſtas accipito, & in ipſis cum creta, aut alio aliquo albo colore, Herculem leonem ſuffocantem pingito: eaſq; teſtas ad quatuor angulos, & in medium arui deponito. Reperitur & alia cura naturalis, & per contrariam affectionem medens, cui etiam Democritus teſtimonium præbet. Virgo nubilis ſanguinem nuptiarum habens, nuda, citra omnem penitus amictum, ſolutis crinibus, gallum in manibus habens, regionem circumeat, & herba leo ſtatim decedit. Ipſa uerò legumina meliora fiunt, fortaßis etiã hac herba leone gallum timente. Quidam experientia edocti, ſanguine galli ea quæ ſeminaturi ſumus reſpergere conſulunt, ut ne à leone herba lædantur. Cæterum obſeruare & id oportet, ne quæ ſeminantur legumina cornua bouis contingant, ſterilia enim & minuta ac uilia eiuſmodi proueniunt.

Qualia

Qualia ſemina à quali herba iniuria afficiũtur. Paxami. CAP. XLI.

ORobanche necat fabas, & cicer ſe circumplicando. Zizanion lolium & Græcis æra appellatum, corrumpit frumentum. panibus autem admixtũ tenebras ueſcentium oculis obducit. Hordeum lædit ægilops. Lentem ſecuridaca herba Græcis pelecinus appellata.

De uillico agro præfecto ſiue œconomo. Florentini. CAP. XLII.

OPortet eum cui agri cura eſt commiſſa, exemplum eſſe omnium in agro degentium, ut ad illum, & illius uitam & mores reſpicientes, reuereãtur magis quàm pertimeſcant. Sit autẽ uenerabilis, & acceßibilis, à uino quantum poßibile eſt abſtinens, (Obliuionem enim inducit frequentior uini potus,) non turpis lucri appetens, neque circa uſuras inexplebilis, ſed paucis contentus, & ſemper quæ neceſſaria ſunt uſui egentium ſuppeditans, uigilans, & præ alijs à ſomno exſurgens, & qui mentiri & maxime peierare formidet, pius, & conſuetas religiones obſeruans, non arbores dedicatas & conſecratas, aut aliud quiddam eiuſmodi contumelia afficiens, uerũ omnes ad pietatem præparans, & tempore quidem operarũ obeundarum, ſollicitus & curioſe animaduertens, tempore uero quietis, communis & remiſſus, & ferias per hebdomada fieri permittens, & nihil graue tunc facere permittens, ſed uacare cogens, maxime in lunaribus, aut annuis feſtis. alienas rationes ne conducat, neque laborẽ ac operas terræ herilis ipſe ſuſcipiat, neque ad uſuram ex domini rationibus, omnibus tradat, domini mandatis cõtentus

ſit. Et

ſit. Et ſi quid inuenerit melius, prius ad dominum referat, præterquam ſi ualde adeo utilitas rei urgeat, ut domini iußionem expectare non poßit.

Quòd uillicũ oporteat diariũ & ephemeridem quotidianorũ operũ habere, & quomodo eum ordines operariorum facere cõueniat. Eiuſdem. CAP. XLIII.

HAbeat uillicus ephemeridem, cõmunem agendorum in agro ſententiam iuxta peritos continentem exacte compoſitam, & iuxta ſingulos menſes omnium dierũ, quo inde & cognoſcere queat & ſubmonere, quomodo operari oporteat, nullo tempore præterito. Etenim ſi unam ſaltẽ diem præterierit, operarum ordinem ſubuertet, & non ſolùm præſentes fructus lædet, ſed ipſam terrã peiorem reddet. Si autem multi fuerint operatores, nõ oportet omnes ſimul operari, ſatis enim negligenter & ſupine operas obibunt, neque rurſus duas aut tres ſimul, multis enim præfectis indigebunt. Igitur neq; ſimul omnes, neq; pauci operentur, uerum iuxta ipſorum multitudinem etiam præfectos præficere conuenit. Optimũ igitur eſt, ubi multi extiterint, operarios in decadas ordinare. Si pauci, in numerum ſenarium, & non in quinarium. Vbi enim pari numero foſſores extiterint, conſequentia operarum ab eadem æqualitate cõſeruabitur, & ſegniores ſub unam eleuationem & depreßionem extendentes ac deponentes, cogũtur uelocioribus pares eſſe.

De menſura operarum. Eiuſdem. CAP. XLIIII.

QVidam obſeruarunt & ad uites, & ad roſaria, ſiue

ſiue etiam hortos, ſiue ad quemcunq; locum qui ad plantationem præparatur, & ad trium pedum altitudinem foditur, ad unumquodq; iugerũ ſufficere operarios ſeptem, in ualde dura terra octo. Et iugerum ueterum uitium in tractabili & herbas non habente, ac maritima terra, à tribus ſæpe excoli. In duriore uero & herboſa, à quinq;.

At uero nouellæ plantæ uſq; ad primum quinquenniũ, ſæpicule à tribus excultæ ſunt. Cæterum ex uitibus aminea facilius colitur, Surrentina uero ecõtra, pluribus enim hæc opus habet operarijs. Porrò iugerũ à quatuor operarijs poſſe paſtinari, affirmãt hi qui experimento cognouerunt: paſtinatione ſecundum latitudinem ad duos & dimidium pedem, in altitudinẽ uero pedis facta. Hanc enim optimam ipſius menſurã eſſe obſeruatum eſt. Putari poſſe iugerum à quatuor itidem obſeruatum eſt. Primam uero pampinationem ac turionum collectionem ab uno fieri poſſe, & ſecundam multo minori opera conſtare. Inſuper autem quamuis eximio uinitori, plura quàm octo iugera uitis colere, non eſt poßibile, neq; omnino permittendum, omnes ueteres ſcriptores teſtantur.

De agricolarum ſanitate. Florentini. CAP. XLV.

COmmodum quidem eſſet etiam medicum in agro conſtituere, quod ſi fieri non queat, accidentes morbos curabis diſciplinæ exemplo ab his qui ſimiliter ægrotarunt hominibus ſumpto. Etenim qui eandem inhabitant regionem, & eadem dieta utuntur, ſi in eoſdem morbos inciderint, ijſdem etiam remedijs ac medicamentis curabuntur. Præſtabilius eſt autem operariorum morbos præ-

uertere, & cura anticipare quantũ poßibile fuerit. Quandoquidem uero eorum qui in ſole laborant corpora & uenas ſol offendit, utpote qui ad tantum ardorem reniti, eiq́; reſiſtere non poßint, oportet alimentum ipſis auferre, ut non ſemel, neque bis, ſed paulatim ac ſæpius comedant. Hoc *enim ipſos ſeruat, & ad concoctionem aptißimum exiſtit.* Alij *rutam & maluam ſylueſtrem decoquũt, ac decoctum ipſum uino aquoſius deprauato dilutum, in media ciborum acceptione exhibent.* Alij *lac & aquam miſcentes, & modicum uinum aquoſius deprauatũ affundentes, ante cibum offerunt, atq; hoc ab initio ueris uſq; in autumnũ faciunt.* Alij *uinum abſinthiatum propinant, & poteſt hoc non ſolum ante cibum, ſed & poſt, & in ipſa cibi ſumptione bibi.* Si *uinũ abſinthites non ſit, abſinthium exhibemus aquæ calidißimæ iniectũ & ferueſactũ.* I*dem facit & uinum ſcillinũ.* Præ*paratur autem & acetũ ſcillinum. et ſi quidem uinũ daturus es ſcilliticũ, ante cibũ dabis: ſi uero acetum, à cœna.* Sed *& paluſtre uinum, hoc eſt in paludibus natũ, ualde ſalubre eſt, in ſanitate utentes conſeruans.* Q*uin & ptiſana maxime nutrit, & ſalutaris exiſtit.* E*t panis clibanites graciliter efformatus, et in ſole ſiccatus, utilißimus ad ſanitatem habetur.* Q*ui enim in furnis aſſatur, grauiorem concoctionẽ facit.* Si *uero & aqua nõ ſit bona, neq; potabilis, ſed morboſa, coquatur donec decima ipſius pars inſumatur, deinde refrigeretur, atque ita innoxia erit.* Sic *enim & marina aqua cocta dulcis redditur.* Q*uandoquidẽ uero animalia uenenum eiaculantia frequẽter agricolas infeſtant, uiperæ, phalãgia, ſerpentes, & mures aranei uenenum iaculantes, & ſcorpij etiamſi*

domeſt

domeſtici fuerint, ac domi uixerint, perſuaſos eſſe agricolas oportet, uitē Theriacā ad omnes horū animaliū morſus ſufficientē curationē præſtare. Non ſolū enim uinum uitis theriacæ cōmorſi dolorē ſedat, ſed & ex eadē acetū, & ipſa uua, atq; uua paſſa. Foliorū etiā & ſarmentorum uſtorum cinis morſui impoſitus, dolorem ſedat, & hominem ſeruat. Eſt autē aliâs adeò potens res cinis ex omnis generis uitis ſarmētis, ut & canis morſibus medeatur, ſæpe etiam rabioſi. Vbi igitur & Theriaces uis acceßit, multiplicem caliditatis efficaciam demonſtrat. Quomodo autem uitis theriaca fiat, & uinum abſinthites, aut ſcillites, in proprijs locis abunde docebitur.

Quòd neq; agricolas, neq; plantas, à præſtantioribus locis in deteriores transferre conueniat. Didymi. CAP. XLVI.

CONſuluit quidam ut ne ex ſalubribus locis in morboſos, tum plantas, tum agricolas transferamus, ſed potius ex deterioribus in meliores, aut ſimiles, aut certe non multo peiores. Conſterniat enim & perturbat commutatio, in deteriora translatos. Non ſolum autem in hominibus, ſed etiam in plantis obſeruandum hoc eſſe ſapientißimis uidetur.

Quòd fabros ferrarios, & lignarios, et figulos, in agris habere oportet, aut prope. Varronis. CAP. XLVII.

AGricolas parandorum inſtrumētorum gratia in urbes proficiſci inconducibile eſt. Inſtrumentorum enim uſus dilatus, idq; frequenter & aßidue, agricolas impediet. Aßidua etiam in urbem profectio, ſegniorem

facit. Quapropter fabros ferrarios & lignarios, aut in ipſis agris, aut prope habere oportet. Maxime autem neceſſarium eſt & figulos habere, omnium gratia, quum certo perſuaſi ſumus, quod in omni terra figularem terram reperire detur. Aut enim in ſuperficie, aut in profundo, aut in abſtruſis & reconditis partibus ac locis regionis, terram figularem inuenies.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. III.

In tertio libro præceptionum de Agricultura ſelectarum, continentur operæ ſingulis menſibus conuenientes.

Ephemeris ſiue diariū, & quid ſingulis menſibus operari oporteat. Ex Varrone & Quintilijs. CAP. I.

IANVARIO *menſe uites arbuſtiuas putare oportet, uitatis matutinis & ſerotinis crepuſculi horis. Eodem menſe ligna ad ædificandum & operas cædenda ſunt, luna in coitu exiſtēte, & ſub terra. Lunæ enim lumen ligna molliora facit. Quæ uero tunc cæſa ſunt ligna à putredine incolumia permanent. Eodē menſe fructiferas arbores ſtercorare oportet, ita ut ſtercus radices non attingat. Eodem menſe inſeres quæcunq;*

prima

prima florent, uelut Rhodacena, Damaſcena, Præcocia, Amygdalas & ceraſa. Eodem menſe uitem humilem, chamiten appellatam acutiſsimis falcibus putare oportet, uitatis diebus ac horis ſerenis. Ab Idibus Ianuarij uites plãtare itemq́; reliquas arbores oportet, uſque quo locorum aptitudo plantationem admittit. Eodem menſe ſeminare non conuenit. Rara enim & grauis exiſtens terra uaporoſa fit, & lanis male carptis ſimilis exiſtit. Stercoranda eſt Medica, & Cytiſum uiride demetendum. Aridam & leuem & albam, & colliculoſam, tenuemq́;, & harenoſam terram, & radicibus ac fruticoſis herbis plenam, quæ Octobri menſe non eſt nouata, nunc ante ſtercorationem, paruis aratris arabis, ſtatimq́; ſtercorabis. Salſa terra paruis aratris commoueatur, paleisq́; fabaceis conſpergatur, aut ipſarum inopia frumentaceis & hordeaceis.

Menſe Februario. CAP. II.

FEbruario menſe tranſponemus ex plantario irradicatas uites duorum aut trium annorum, nequaquam uero anniculas. Sunt enim imbecilliores. At uero uitium tranſplantatio, & multum fructum fert, & bonum facit uinum. Hoc menſe plantabimus harundines priuſquam germinare incipiant. Hoc menſe & uitem, omnesq́; arbores ac roſas plantare oportet augeſcente luna. Eodem menſe ſerendum eſt frumentum trimeſtre, ſeſamumq́; ac cannabis. Terram autem in qua medicam ſeminas, nunc iterum arabis.

Menſe Martio. CAP. III.

MArtio menſe ſurculos ad inſitionem capiemus, & ipſam inſitionem tum uitium, tum aliarum arbo-

rum faciemus. Hoc *menſe harundines plantandæ ſunt ante æquinoctium.* Hoc *menſe oleas quæ medicatione indigent curabimus.* Hoc *menſe radicibus amygdalarum ſtercus ſuillum imponemus; nam & amaras faciunt dulces, & maiores & delicatas, uelut* Ariſtoteles *inquit:* Theophraſtus *uero urinam radicibus affundere iubet.* Hoc *menſe plantabimus omnem arborem, & caſtaneam maxime à palo ſiue talea, in frigidioribus ac humidioribus locis.* Hoc *menſe circunfodere uites expedit, reliquasq́; arbores.* Quæ *enim tunc circunfoſſæ ſunt, & multum & pulchrum ac bonum fructum ferunt.* Hoc *menſe triennales uites pampinandæ ſunt, quum adhuc teneri ſunt turiones.* Quidam *ipſis manibus turiones colligunt.* Et *ſane ueteribus uiſum fuit ut uſque ad trienium uitibus ferrum non adhiberetur.* Sed *& proſtratio uitium triennalium ad translationem hoc menſe aptius fieri poteſt.* Oportet *hoc menſe inſitores omnia antequam germen emittant inſerere, quum uberiorem lacrymam arbores habere uidentur, & obſeruare ut ne malorum & pirorum ſurculi, qui ad inſitionem caute & diligenter accipi debent, acutiſsima falce deputentur.* Sunt *enim hæ arbores ualde tenui cortice præditæ, quapropter aliqui ipſos manibus potius auferunt, quàm falce reſecent.* Arare *etiam nouale conuenit, terramq́; ad ſementem præparare.* Tunc *enim uerſa neque multas herbas nutriet, & friabilior euadit.* Neque *ſufficit hoc ſemel facere, ſed iterum, aut etiam tertium.* Serere *autem conuenit frumentum album* Sitanium *cognominatum, & nigrius, & oblongum* Alexandri=

num

num appellatum, in leuem terram & apricam, montanamq́; & lacubus plenam, & harenoſam & aquis carentem, uſque ad octauum Calend. Apriles. *Hordeum ſerendum eſt tenue appellatum, in terram quæ frumentum antea tulit. In proprijs etiam locis ſerēdum eſt ſeſamum, typha, zea, milium & cannabis. Quum autem ſata in ſpicas abierint, runcabis ipſa. Ita enim fructus puri & uberes euadent.*

Menſe Aprili. CAP. IIII.

A*Prili menſe poſſunt adhuc oleæ plantari, tunc certe maxime ipſas purgare oportet. purgatæ enim fructum meliorem producunt. Theophraſtus ait hoc menſe oleas, et punicas arbores, & myrtos in taleas ſectas poſſe plantari in locis humidis & rigatis. Hoc menſe etiam inſeremus & inoculabimus oleas reliquasq́; arbores opportune. Amplius autem hoc tempore ficus inſeri incipit, & caſtanea & ceraſus. Sed & ſecunda foßio nouellarum uitium hoc menſe completa eſſe debet. Nouellas item uites putare conuenit. Leuior enim cæſura ipſarum erit, ſi nunc fiat. Quanquā quibuſdam uideatur, & præſertim omnibus ueteribus uſq; ad triennium non eſſe ferrum uiti admouendum. Hoc menſe & ulmi ſemen collectum ſtatim ſerere cōuenit, poſſunt & fici quæ radices egerunt tranſferri, etiamſi iam germen emittant.*

Menſe Maio. CAP. V.

M*Enſe Maio inſerere uitem priuſquam germinet, conuenientißimum eſſe uidetur. Quidam poſt uindemiam ipſam inſerunt. Hoc menſe oleas mundabimus, eodem & uina in alia uaſa transferemus. Dolium autem*

impletum eſſe oportet paululum infra collum, ut ne ſuffocetur, uerum habeat quandã reſpirationẽ. Hoc menſe licet, uelut dictum eſt, uitem inſerere, etiam ſtirpe germinare inchoante, lacryma enim uiſcoſa redditur. Verum ſurculos manifeſtum eſt multo antea & priuſquam germinent accipi oportere, & ſub terra in tegula diligenter occultatos ſeruari, & ne uireſcant. Hoc menſe fodere uites oportet, & maxime ſerenitate inſtante. Etenim foßio ſitientem uitem conſolatur, perflari enim ipſam facit, & terra ſupra ipſam inſurgens uitem ſitientem refrigerat. Sed & plantaria cædere neceſſariũ eſt. Sunt autem plantaria à quibus accipimus plantas, & in alios locos poſt duos aut tres annos tranſplantamus. Hoc menſe inſitas arbores ſemper ad ueſperam cum aqua in ſpongia irrorare conuenit. Quidam & hoc menſe plantant in hybernis uidelicet & frigidißimis ac humidißimis locis, aut qui aliâs rigari poßunt. Et hoc non ſolum per totum menſem faciunt, ſed etiam uſq; ad Idus Iunij, quum manifeſtũ ſit, omnem plantam priuſquam extuberet in germen, plantationi aptam eſſe. Quæ enim ſemel germen emiſit, amplius naſci non poteſt, ſola fico excepta, quanquã aliqui etiam uites quæ germen produxerũt plantant. In hoc menſe lupinum fodere conuenit, quod ſtercorandæ aut purgãdæ terræ gratia ſeminatum eſt. Deinde ante Idus, antequam uitis floret, ſecare, quum adhuc humidum exiſtat, & demeßum ſinere ut paululum putreſcat, & poſtea arare donec deſectum adobruatur, atq; ſic radices omnes corrumpantur. Eodem menſe etiam terrã uertemus multo gramine infeſtatam, omneq; eradicatum gramen arefieri ſinemus,

mus, & luna decima ſexta omne ipſum aceruatim ex re= gione deportabimus. E*a enim res naturalem quandam contrarietatẽ habet, ad hoc ut ne rurſus ipſum reuiuiſcat. Cæterum uaſa in quæ ex dolijs uinum transfertur, ſparto confricare ac purgare oportet: neq; enim fex multa hoc modo erit, neque areſcet etiam ſi fuerit nata, quod ipſum uinum maxime lædit.*

Menſe Iunio. CAP. VI.

M*Enſe* I*unio inſitas uites circunfodere oportet ante* I*dus, ſi fieri poteſt iterũ ac tertio, initio ante* I*dus* M*aias facto.* P*ampinatio etiam toto hoc menſe perficia= tur.* N*unc quoq; prominentes turiones nouellarũ uitium auferendi ſunt, & ſi quid in ſupernis partibus præter ex= creuerit.* V*no enim turione contentam eſſe nouam uitem conuenit.* H*oc menſe ramos perfectarum uitium arbu= ſtiuarũ marcidos & fructum non ferentes reſecare opor= tet.* H*oc menſe groſſos & caprificus in ficis ſuſpende= mus.* H*oc menſe inſeremus & inoculabimus omnem ar borem, uſq; ad* I*dus* I*ulias, ficum uero etiam poſtea.* E*odẽ menſe arbores circumfoſſas & relictas obruere oportet.* E*t ante idus etiam harundineta & ſaliceta circunfodere li cet.* A*mplius uero & in hortis, apium & amarantum, & althæam poni tempeſtiuũ eſt.* E*odem menſe uitem ſecare oportet, & fœnum uiride adhuc exiſtens, ipſumq; ſiccare ac areſacere in umbra, ſic enim dulce euadet.* V*erum à ſe= ctione ſtatim locum irrigabis, & ad nouale arabis.* A*b octauo* C*alend.* I*ul. triturabis.* N*eq; enim pluuia neq; ros in his diebus contingunt.*

Alicæ præparatio. CAP. VII.

ZEa decorticatur & in feruentem aquam inijcitur, ac exprimitur. Deinde gypſum album tunditur & tenuiſsime cribratur, harenæq; albiſsimæ ac tenuiſsimæ quarta pars cum gypſi parte, paulatim permiſcetur ad zeam rurſus probe purgatam. Præparetur autem in canicularibus diebus, ut ne aceſcat. Poſtquam uero rurſus tota perpurgata fuerit, per cribrum denſius excutiatur. Optima eſt alica quæ primum excuſſa eſt. Secundum locum habet quæ ſuccedit. Deterior autem tertia eſt.

Tragi præparatio. CAP. VIII.

FRumentum Alexandrinum appellatum maceratur & decorticatur, & in ſole calido ſiccatur. Deinde idem rurſus fit, donec & pelliculæ & quicquid fibroſum eſt in frumento dilabatur, atque hoc modo etiam ſiccatur & reponitur Tragus qui ex generoſa olyra conficitur.

Ptiſanæ præparatio. CAP. IX.

ORdeum maceratum decorticatur & in ſole ſiccatur, atq; ita reponitur. Inſpergitur autem ipſi quod tenue eſt ex eo decuſsum, hoc enim ipſam cõſeruat. Ptiſana liquidior accepta maxime nutrit. Sit autẽ aquæ decupla ordei pars. Tunditur ſale non trito ad ipſum inſperſo. fit & ex frumento ptiſana eodem plane modo.

Menſe Iulio. CAP. X.

MEnſe Iulio uites fodere oportet uſque ad ſecundam foſsionem, nimirum & matutino & crepuſculo ueſpertino non in altum, & tunc eligere ac exſtirpare gramen maxime. Oportet & terram diſruptam æquare & unire, ut ne ſol in altum exurat. Oportet etiam perfectam uitem

uitem ſuperfodere. Puluis enim uuam maxime maturam reddit & magnam. Hoc menſe & ligna cædere licet, ſi neceßitas poſtulauerit, deſinente uidelicet luna, & ſub terra exiſtente. Amplius & terram arare conuenit à qua fabas & lathyros demeßuimus. Statim enim omnem terram arare oportet poſt meſſem factam, priuſquam arida fiat. Inſuper & folia in pecoris alimentum deſecare competit ac reponere. Amplius circa Idus eiuſdem menſis, filicem, & butomon & iuncum, & harundinem eradicabis, & lupinos florentes balnearum aqua tritos, in cæſuram relictæ in terra radicis diffundes, inde enim exareſcet. Si uero multis radicibus terra ſit referta, lupinos in ipſa ſeres, ipſisq́; florẽtibus reſectis arabis, quo ad obruãtur deſecta, & tenui ſtercore inſperſo ſines. Poſt duodecimum diem arabis bis, & quæ terræ commoda iudicaueris ſeminabis, ita ut ad ipſum ſemen, etiam lenticulæ partem modicam ammiſceas.

Menſe Auguſto. CAP. XI.

AVguſto menſe maturas uuas in calidioribus locis legere, & uindemiare oportet, & eas quæ maturæ nondum ſunt, moderate circumfodere. Similiter & oliueta, & glebas diſſoluere, quò puluis excitetur. Hic enim ubi in fructum inciderit, citius eum maturum reddit. Quapropter etiam oleæ & uitis iuxta uiam ſita, uberiorem & pleniorem fructum ferunt, propter excitatum à prætereuntibus puluerem, & ſolæ uitium ille foßione non indigent, deinceps etiam hæ quæ in tenui ſolo plantatæ ſunt, terra exſiccata. Statim enim areſcunt, radices ſuperne habentes propter tenuitatem. Eodem menſe inſitos

ſitos ſurculos aqua per ſpongiam irrorare oportet occidente ſole. Eodem menſe dolia ad ſolem ſiccanda ſunt, & uiginti diebus antea quàm uinum ſuſcipiant picanda. Eodem menſe ſerotinam uuam pampinare oportet. Hæc enim pampinatio fructum & maiorem & meliorem facit, citiusq́; maturum. In Nouellis autem & fertilibus ualde uitibus, etiam de fructu aliquid inſuper auferendum eſt, ne & palmites tenuiores, & fructus inutilis fiant. Amplius autem quam diuturnitatis gratia decerpimus uuam, in uigore exiſtentem accipere oportet. Oportunum eſt & ſiccas ficus in calidioribus locis hoc tempore decerpere. Inſuper & foſſas præparare, in quas per autumnum plantabimus oleas, aut etiã alias quaſdam arbores. Eodem menſe locos fœnum producentes quos rigare cõſueuimus, rigabimus. & ſecundo filicẽ & iuncum, & harundinem, & butomon ſecabimus. Ad nouale uero ſolidam & grauem, & pinguem terram arabimus, montanam item & tempeſtuoſam, & penitus umbroſam, & ad boream ſitam, grauib. aratris colemus aut ligonibus. Cæterum uſq; ad octauũ Calend. Septemb. triturabimus, nam neq; hymbres, neq; ros, in his diebus fiunt.

Menſe Septembri. CAP. XII.

MEnſe Septembri notare oportet uites tum ualde feraces, tum ſteriles, ut has quidem exſcindamus, illas uero inſeramus. Fiat autem notatio una cum oleo & pice mixtis. Hoc menſe paleas & platanorum folia, in quibus uuas aſſeruare uolumus, inſolare & ſiccare oportet. Iam etiam nuces decutere conuenit, & aßiccatas reponere. Vſque ad ſextum Calendas Octobris ſerere tutum

non

non eſt. Si enim ſquallores ſequantur, ſemina corrumpuntur. Verum à quinta Calendarum Octobrium, lupinum ſeremus, hoc enim pluuiam non expectat. Tenuem terram & radicibus refertam atque herba fruticoſa, poſt Idus Septembres pluuijs obortis ante ſtercorationẽ arare oportet, & ſtatim ſtercorare.

Menſe Octobri. CAP. XIII.

EST enim Octobri menſe commodum uindemiare. Et enim prima uindemia uinum copioſius præbet. Secunda melius, Tertia magis dulce. Hoc menſe poſt æquinoctium & primos hymbres quidam plantant uſque ad pleiadum occaſum. Incipiunt autem occidere à ſeptima Nouembris menſis die. Eodem menſe paſtinare uites commodum eſt, & circa radices lixiuium, aut cinerem ſiccum, aut urinam hominis ueterem, aut uini fecem, aut paleas circunfundere. Hoc menſe inſerenda eſt amygdalus, ceraſus, ficus. Licet & in hortis plantare oleam, amygdalum, ceraſum & omnes arbores autumnalia foris non lignoſa poma ferentes. Vlmum item & pinum, & populum, & fraxinum, & abietem. ficum autem nunc nequaquam. Inſuper etiam arborum omnium ſemina ſeminare commodum eſt. Eodem menſe & oleum omphacinum ſiue uiride præparare incipiemus, collectis uuis acerbis & immaturis. Eodem menſe citreas arbores uelabimus quas in hybernis locis habemus. Truncos uero ipſarum cucurbitæ folijs integemus, & cinerem de cucurbitis uſtum radicibus circumijciemus. Hoc menſe putationem inchoare præſtat, & poſt uindemiam fodere terram, quo calcata à uindemiantibus rarefacta, citra

impe

impedimentum autumnales pluuias uſq; ad radices ſuſcipiat. Sed & herba ipſa per aërem minor fiet, radicibus omnibus ante tempus exciſis, & à glacie corruptis. Hoc *mēſe etiã mala quæ in hyemẽ ſeruabimus, decerpemus, & in lignorum odoratiorum ſcobem reponemus.* Similiter *& reliquos autumnales mollis corticis fructus.* Inſuper *autem & aſparagum paluſtrem nunc purgare oportet.* Hoc *menſe multi & ſementem incipiunt.* Si *autem poſt decimum quartum diem rigaueris, ualde fertilia erunt ſata; & ſi non rigaueris etiam non lædentur ſemina.* Ante *tamen* Calendas Octobres *ſeminare non expedit.* Obſer*uandus eſt coronæ ortus & occaſus.* Q*uæ enim in his diebus ſeminata fuerint, ualde utilia erunt.*

Menſe Nouembri. CAP. XIIII.

NOuembri *menſe poſt primos hymbres uites plantare oportet, in calidioribus & ſiccis locis.* Q*uidam tunc putant uites in calidioribus locis.* In *uniuerſum autumnalis putatio radices & palmites generoſiores facit.* V*erna uero fructum copioſiorem reddit.*

Menſe Decembri. CAP. XV.

MEnſe Decembri *ſimiliter uitis plantari poteſt.* Ve*rum &* Nouembri *&* Decembri *muſtum poſtquam feruere deſierit, purgare oportet, & ſordes intus circa doliorum colla hærentes, itemq; ſpumam fœnogræco arido detergere, aut etiam manibus puris.* Decembri *item &* Nouembri *menſe ſtolones omnium arborũ quæ cito florent, plantare & inſerere commodum eſt.* Ligna *etiam ad ædificationem cædere, deſinente & ſub terra exiſtente luna.* Nouellæ *inſuper uites itemq; perfectæ circunfodiãtur, perfectæ etiã ſtercorẽtur.* N*ã nouellis ſtercus inijcere*

inijcere non eſt neceſſarium. Amplius & oleas poſt decerptum fructū putare tempeſtiuum eſt. Copioſior enim fructus ex nouis ramulis prodit. Sed & circunfodere tum ipſas, tum alias arbores oportunum eſt, & arboribus impotentibus ſufficiens ſtercus caprinū inijcere, aut amurcæ heminas uiginti. Inſuper & Caſtaneta plantare oportunum eſt, ſed & fabam ſerere tempeſtiuum.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA, LIB. IIII.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui quartus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & cōtinet de plantatione & cultura uitium arborearum & de plantatione earundem, deq; uua Myrſinitide & Theriaca appellata, & de diuerſa inſitione, & quomodo idem botrus diuerſos habeat acinos, & de uuarum diuturnitate; & alia multa utilia.*

De arboreis uitibus ſeu arbuſtiuis. Florentini. CAP. I.

AR*boreæ uites omnibus commodiores ſunt. Nam & melius & diuturnius, & dulcius uinum efficiunt, & ex interuallis poſitæ permittunt terram in ipſis quarto quoq; anno ſeminari. At uero non omnes arbores uitibus arboreis ſupponere & adiungere oportet, ſed quæcunq; unam radicem habent, uelut eſt alba populus, aut quæ radices habent contractas, & comam non ualde profundā,*

ut ne

ut ne penitus uitem obumbrent. Sunt autem huiuſmodi, ulmi, populi nigræ, fraxini, acer. Altitudinis ſint pedũ triginta aut quadraginta. In Bithyniæ *regionibus* Tarſenis & Boanis, *etiam uſq; ad ſexaginta pedes inſurgentes arbores, per quas uitis aſcendit, non officiũt, ſed etiam melius uinum faciunt, maxime* Ammuneum. *In bona itaq; terra permittendum eſt ut eiuſmodi arbores in altum excreſcant, quemadmodũ prædictum eſt. Verum in tenui terra à pedibus octonis exſcindẽdæ ſunt, ne omnis terræ uis iñ ipſas arbores inſumatur. Extendantur autem rami quantum fieri eius poteſt, in orientem & occaſum. Eaſdẽ uero arbores ſimiliter ut uitem circunfodere & mediocriter ſtercorare oportet. Conuenitq́; eiuſmodi uites longas eſſe & robuſtas, ſuntq́; maxime radicibus plantandæ, & alij quidem à plantarijs plantas radicatas uiuiradices appellatas transferentes poſuerunt, alij uero perfectam fermè uitem floridam perpurgantes & radicitus extrahentes cum propria terra in foſſam iuxta arborem ſitam imponunt. Deponitur autem uitis hoc modo. Spatio trium cubitorum ab arbore plantato, deinde ubi probe coalta hæſerit, ut iam ſufficiens ſit quo arbori uniatur & maritetur. (Hoc uero ex craßitudine indicatur) totam proſtratam & defoſſam arbori adiungito, pedis ſpatio ab arboris radice, reliquo palmite libero relicto, & quoſcũq; oculos relictos eſſe contigit, eos omnes ungue ademptos excæcato, quo unum aut alterum germen in ſumma parte relictum uberius augeſcat, quod deinde ubi auctum fuerit ſenſim arbori adiungere ut in ea conquieſcat, conuenit. Obſeruandum eſt autem ut illa arboris pars diligenter putetur,*

tur,& quicquid circa radicem eſt auferatur, quo nihil radicem obtegat. Meminiſſeq́; oportet ut eiuſmodi,hoc eſt arboribus maritatas uites,in putatione nõ profunde & trunco propius amputemus, ſed longius ab eo, ita ut ſarmenta non breuiora duobus cubitis relinquantur. Sic uero ſarmẽta ſecundum ramos arboris diſponi conuenit, quo partes fructum ferentes ſublimes ſint,& à uentis agitentur. Ordines habeant interualla cubitorum quindecim. Ita enim & melius uinum erit & copioſius. Cæterum in his ſpatijs arbores fructiferæ paucarum radicum locari poſſunt. uelut eſt malus punica,malus quæcunque,& cotonea.Oleam etiam in his interuallis plantare licet, etiamſi quibuſdam ea res non probetur. Quidam etiam ficum uitibus conuenientem eſſe affirmant, quod non ita habere experientia conuincitur. Quapropter præſtat ficus foris in ambitu circumplantare.Porrò cognouimus in Bithynia uitem arboream ceraſo delectari,& maxime eſcariã,imò etiam Amineam,quæ & multi fructus,& multi uini cauſa exiſtit. At uero hãc terram etiam ſeminare quarto quoq; anno licere, ſuprà dictum eſt.Ex huius enim ſementis turbatione, non ſolum nihil offendi,eius rei experti affirmãt,ſed etiã præſtantius uinum inde fore promittunt. Quandoquidem uero contingit uitem arboris trunco circulariter adhærentem ac circumſitam,hocq́; modo in altum aſcendentem, temporis progreſſu cõprimi,& quodam modo conſtringi ac ſuffocari propter unitionem quam ad ipſum truncum habet: pleriq; in Bithynia inter uitem & arborem cuneum inſerunt:atq; ubi hoc modo uitem ab arbore diſpararunt,ſeceſſum & torulum ipſi uiti ſubornant in quo requieſcat.

Aliud de arbuſtiuis uitibus. Africani.

CORnua caprarum tria circum arbuſtum erecta infigito, acumine deorſum, alia parte ſurſum ſpectante: & obruito, ut ſumma cornuum pars paululũ præ terra promineat, quo pluuia delapſa deſcendens, cornua irriget. Hoc *facto uitis ualde fertilis euadet.*

Quomodo facile & cito poſſunt uites uiuiradices tranſplantari. Didymi. CAP. II.

POſtquàm magnas uites ſemel atq; iterum paſtinare, hoc eſt circũfodere, inchoabimus, ex multa diligentia magnum lucrum accedet. Ex *uigoroſa itaque uite, hoc eſt decennali & deinceps, ſarmentum quàm longiſsimum & generoſiſsimum eligito ex inferioribus partibus, hoc eſt ad pedalem uſq; altitudinem à terra, idq; proſtratum in ſcrobem pedali altitudine effoſſam defodito, longitudine tanta ut quatuor oculos ſuſcipere poſsit, tot enim adobrui terra conuenit. Sic tamen ut poſt adobrutos quatuor oculos, qui adhuc in ſummo exiſtunt ac ſuperſunt, non plures ſint quàm duo aut tres ſummum. Quòd ſi maius & longius ſit ſarmentum adeo ut etiam ſecundam defoſsionem ſuppeditare poſsit, duas uiuiradices ex una facies, & iuxta eundem modum ac prædictam ſymmetriã, etiam alteram ſarmenti partem defodies ac obrues. Cæterum quod poſt duas depoſitiones, è quibus duæ uiuiradices fiunt uites, ſupereſt, ſarmentum reſecare conuenit. Nam ut plurimum inutile exiſtit. Obſeruare autem & diligenter cauere oportet, ut ne inter unitionem ad ueterem uitem, & defoſſam partem germinet. Contingit enim oculos intermedios duos aut tres ad germen productos, radicationem depoſiti ſarmenti impedire*

impedire. Hoc *igitur obſeruantes, ita ungue oculos auferemus, ut ne permittamus germen emittere, & ſi noua germina enaſcantur, etiam ipſa decidere oportet, duobus aut tribus tantum oculis reſtantibus, quos relinqui oportere docuimus in impluuij ſummo, ita enim appellant.* Conſequens *eſt autem ut unius tantum oculi germen quod apertius fuerit relinquamus.* Depangenda *eſt autem ad relictũ germen tenuis uirga aut harundo, quo germen tenerũ exiſtens calami contactu acquieſcat, & neq; peruertatur obtortũ, neque effundatur ac diffluat.* Robuſtiores *porrò fiunt radices ſecundo anno ſarmento deſecto, à uite uidelicet, ne planta matrem diutius adhærens lædat, & in ſeipſam matris uim adtrahat.* At *uero in* Bithynia *completo anno, plagã ſiue cæſuram quãdam prædicto ſarmento infligentes, neq; penitus ſeparant plantam à matre quæ nondum perfecte radices egit, neq; in tantum matri moleſtam eſſe permittũt, ſed per plagam incuſſam utriſq; ſufficientiam cuſtodiunt, perfectum deinde reſecantes, quum iam tranſplantandi tempus eſt, inchoante tertio anno.* Quapropter *optimæ eſſe uidentur plantæ uiuiradices in plantarijs nutritæ, & multo magis perfecta ſarmenta per ſcytalides depoſita, & aliquãdo tranſplantata.* Hæc *enim & probe nutriri poſſunt abſq; matris perturbatione, & citius terræ adnaſci ac coaleſcere.* Imò *& per ſe uitis eſſe poſſunt.*

De uua ex myrto. Tarentini. CAP. III.

V*Va myrtea imum fundum myrti baccas habet.* Fit *autem uua myrto mixta, ſi in myrtum arborem ipſa uitis ſarmenta inſeras.*

De præcoci uua. CAP. IIII.

SI nigrā uuā in ceraſum inſeras, etiam in uere uuā habebis. Eodem enim tempore uitis uuas producet, in quo ceraſus proprium fert fructum. Velociter autem germinabit uitis, ſi nitrum tritum aqua mixtum ad mellis craßitudinem redegeris, & poſt putationem ſtatim ipſos oculos large inde illeueris: per octo enim dies germinabit. Præcoces uero efficies uuas, ſi ſimul cum plantis uinacea dulcia, hoc eſt nondum peruerſa & corrupta, ſufficiēti modo depoſueris. Melius autem feceris, ſi plantæ dum plantantur prædicta uinacea adieceris.

De uua ſerotina. Eiuſdem. CAP. V.

RAcemos qui primum enati fuerint, auferre oportet, rurſus enim alij pro ipſis naſcentur. Inſuper & plantæ multam curam habeto, iterumq́; racemos producet, hi uero maturi facti ſerotini erunt. Eos itaq; racemos in uaſa fictilia inferne perforata imponito, & ſupernam partem diligenter contegito, ipſaq́; uaſa ad uitem alligato, quo à uentis immota permaneant.

De uua abſque uinaceis. Democriti. CAP. VI.

VVam abſque uinaceis quidam ſic faciunt. Sarmenti quod plantaturi ſunt tantam partem, quantam terra adobruere oportet, leuiter ex æquo findūt, & auriſcalpio medullam omnem eximunt, deinde papyro humida obligatum ſarmentum deponunt. Præſtabilius tamen fuerit, ſi totam ſarmenti partem, quæ in terram deponitur, ſcillæ inſertam depoſueris. Scilla enim tum ad naſcendum, tum ad uniendum cōducit. Alij ipſas uites iam fructiferas incidūt, & ſarmenti fructiferi medullam auriſcalpio eradūt, quantum fieri poßibile eſt eam ex alto eximentes, ſarmēto non

fiſſo

fiſſo, uelut eſt indicatum, ſed integro dimiſſo, & laſſeris cy renaici ſuccum aqua diſſolutum, aut ad ſapæ ſpiſſitudinem coctum infundunt, & erecta ſarmenta ad ridicas alligant, ne uidelicet ſuccus effluere poſſit. Singulis autem deinde octonis diebus ſuccum eundem ſarmento infundunt, donec germen emittat. Idem facies & in punica malo ac cæraſo, ſi quidem & harum poma abſque granis ac nucleis naſci uelis.

De uite Theriaca & purgatoria. Florentini. CAP. VIII.

QVòd ad multa confert uitis Theriaca, manifeſtum eſt, & maxime ad ſerpentium plagas. Modum autem quo paratur, nunc dicemus. Ramuli uitis quem plantare uolumus, inferiorem partem findimus ad triũ aut quatuor digitorum menſuram, & exempta medulla, Theriacã antidotum in ipſum ſarmentum indimus, deinde papyro obuolutam, fiſſam partem plantamus. Qui diligentiores circa hanc parandam haberi uolunt, etiam in radices anti dotum diffundunt. Similiter autem & purgatoriam uitem eodem modo faciemus, ueratrum uidelicet in fiſſum ſarmen tum ſubdentes. Verum noſſe oportet, quòd ſarmentum à Theriaca uite ad plantandum acceptum, non eandẽ uim habet. Elangueſcit enim tranſplantatum, ac translatũ & inſitum, nimirum antidoto per tempus tranſpirante. quapropter conuenit antidotum opportune radicibus illinire. Cæterum ad reptilium plagas commodum eſt uinum in potum, item ex eodem acetum, ipſaq; uua, & uuæ paſſæ in cibo acceptæ. His uero deficientibus, folia uitis ipſius proſunt trita & impoſita. Quod ſi horũ omnium penuria

ſit,ſarmentorum uitis theriacæ uſtorum cinis impoſitus ho minem ſeruat. Nam *& citra theriacam cuiuſcunque uitis ſarmentum, aduerſus canis morſum auxiliatur, non tamen ita ſi ſit rabioſus.* Hæc Florentinus *in primo & ſecundo Georgicorum ſuorum prodit.*

De unguentaria uite. Paxami. CAP. VIII.

SI *uelis regionem bono odore implere, ſarmenta dum plantantur fiſſa unguento expleto, uelut iam antea eſt dictum.* Præſtat *tamen humecta ſarmenta unguento rigare, atque ita aut inſerere, aut plantare.*

Ne ueſpæ uuas, & alios fructus contingant.
Democriti. CAP. IX.

OLeum *ſorbeto, & uelut inſufflans ad uites, & uuas atq; alios fructus accedito.*

Quomodo uuæ uſq; ad uer in uite in uigore permaneant. Berytij. CAP. X.

IVxta *uites in loco ualde umbroſo, ſcrobem ad cubitos duos effodito, & iniecta harena ridicas defigito, & ſarmenta luxans ſemel atque iterum, unà cum racemis diligenter uertito & obtorqueto, indéq; ex ridicis deuincta contegito: ne quo humore rigentur. Cauendum etiam ne racemi ipſi pauimentum contingant.*

De uitium inſitione. Florentini. CAP. XI.

QVi *uitem inſerere uelit, craſſum truncum deligat, qui unum atq; alterum ſarmẽtum ſuſcipere queat. Quidam igitur in terra inſerunt, ad ſemipedis altitudinem deſcendentes, & ferè in uitis fundo inſitionẽ faciunt. Quidam uero in planicie inſerunt, id quod optimum exiſtit. Quod uero in alto inſeritur, difficulter coaleſcit, à uentis*

agitat

agitatum. Si autem neceßitas cogat in alto inſitionem face re, propter leuitatem exiſtentem in profundo, præparatum palum habeto, quo ad ipſum deliges, quod in alto inſitum eſt, propter uentos. Quidam etiam in humeros trunci inſi=tionem faciunt. Quòd ſi in ceraſum uitem inſeras, ualde præcoces uuas habebis. Quo tempore enim ceraſus pro=prium fructum ferre ſolet, eodem & uuas dabit, hoc eſt ue=re. Tempus inſitionis uere eſt, glacie iam ceſſante, quando dum inciditur uitis, humorem neq; multum, neque aquo=ſum, ſed craßum & glutinoſum remittit. Sarmenta ad inſitionem accipienda ſunt rotunda, ſolida, denſis oculis, maxime ex brachijs. Sufficiunt autem ſarmento oculi duo aut tres. Si uero terra obruatur, tres aut quatuor. Cæterum ab uno ſarmento plures quàm duos ſurculos ſe=care ad inſitionem non conuenit. Quod enim poſt primos ſeptem oculos ſupereſt, ſterile & inutile exiſtit. At uero fir mius coaleſcent noua ſarmenta periſyni ſarmenti partem habentia. Neq; uero ſtatim ut ablata ſunt à uite ſarmẽta inſeremus, ſed poſt ſectionem obtecta plaga, in dolio depo nemus, ut ne trãſpirent: prius quàm tamen germen fundere incipiãt, et dũ adhuc clauſa ſint inſeremus. Quæ igitur ad terrã ad ipſum uitis fundũ inſerimus, firmius utiq; inſeren tur, eleuata ſimul terra ad ipſorum enutritionẽ, uerum fru=ctum tardiorẽ reddent, uelut alia in terra plãtata ſarmenta. Quæ uero in altiore parte inſita ſunt, difficulter coaleſcẽt à uentis quaſſata, citius tamen fructum producent. Opor=tet autem ea quæ in alto inſeruntur, eſſe leuia & plana, craßitudine pollicari: aſpretudinem uerò à ſerra, acuta falce leuigare expedit. Porrò ſarmentum quod inſeren=

dum eſt ad duorum & dimidij digiti longitudinem ex una parte deradere oportet, quemadmodum uidemus ſculptos & formatos calamos cum quibus ſcribimus, ita ut ex una parte medulla appareat illæſa, ex altera uero ipſe cortex. Deponendum eſt autem ſarmentum totum, quatenus deraſum eſt, ut ne quod inter truncum & ſarmentum medium eſt hiet, explendum'que calce aut argilla. Prohibebitur enim ita humor, & is qui in ipſo eſt humor, cuſtodietur. Cæterum pars trunci quæ ad plagam ſpectat, uinculo liganda eſt ſimplici quidē, ſed infracto, deinde luto glutinoſo illinenda. Quidam etiam bubulum ſtercus ad lutum ammiſcent. Quæ igitur hoc modo inſita ſunt, eorum uinculum aqua per ſpongiam irrigamus, ſub crepuſculum ueſpertinum in æſtatis maxime uigore. Vbi autem iam germinans quatuor digitorum fuerit, ridicam iuxta defigere oportet & alligare, ut à uentis ſit ſecuritas. Quum uero germen auctum fuerit, uinculum falce diſſecare conuenit, ut à coarctatione liberetur, & humor ex trunco in ſarmentum diſtribuatur. At uero Luna deſinente ſarmenta decidere oportet ad inſitionem. Ita enim robuſtiora erunt. Quidam non ſolum uere, ſed & poſt uindemiam inſitionē faciūt. Tūc enim uitis denſiorē impetū ac cōcitationē habet.

De inſitione per terebrationem. Didymi. CAP. XII.

Optima mihi eſſe uidetur inſitio per terebrationem, neque enim uitis in qua inſitio fit, interim ocioſa manet, ſed ſimiliter fert fructum, & ſarmentum coaltum ſimul augeſcit, uite nihil offenſa ex terebratione, neq; cōpreſſa ex coarctatione. fit inſitio per terebration

brationem hoc modo. Truncum uitis terebra gallica appellata perforato, & præſtantioris in proximo ſitæ uitis ramum attractum in foramen immittito, non ab antiqua matre deciſum. Sic enim ſarmentum uiuet tum à ueteri parente nutritum, tum uiti quæ ipſum ſuſcepit, coaltum & concretum. Intra duorum uerò annorũ ſpatium ſarmentum impoſitum unietur. Tunc igitur poſt cicatricem inductam, ſarmentũ decidere oportet, quod adhuc ex ueteri matre detinetur, & truncũ uitis in quã inſitio facta eſt, quantũ ſupra terebrationẽ extat, ſerra deſecare. Et de cætero ſarmentum inſitum principalis uitis pars exiſtat.

Vt idem racemus diuerſos habeat acinos, hoc eſt, ſingulares uuas, alios albos, alios nigros, aut fuluos. Eiuſdem. CAP. XIII.

ACcipienda ſunt duo differentia, diuerſi generis ſarmenta, eáq; findenda per medium, cum animaduerſione ne in oculos fiſſura perueniat, neque quicquam de medulla excidat, atque ita alteris alterum adiungere oportet, & adglutinare, ut oculi coincidant & quantum poßibile eſt ſe mutuo contingant, et duo oculi quaſi unus fiat. Inde uerò ualide conſtringere ſarmenta cũ papyro oportet, & ſcilla integere, aut glutinoſißima terra, atque ita plantare, & interiectis diebus tribus aut quinq; irrigare, uſque quo germen producant.

De uuarum diuturnitate. Eiuſdem. CAP. XIIII.

VVas quæ in hyemem duraturæ deponuntur, poſt plenam lunam deſecare oportet, ſereno aëre exiſtente, circa quartam diei horam, rore iam deterſo. Curandum eſt

autem ut omnes acini, hoc eſt, fructus particulares ſani ſint, & ea gratia acutiſsimam falcem habere oportet ſe=ctorem, quo reciſio facile fiat, & non uiolenter. Opor=tet etiam in uigore exiſtentes uuas reſecare, & neq; cru=diores, neque uel parum uigorem prætergreſſas. Quidam igitur ſingulatim ipſos racemos ſecant: alij ramulos fo=lioſos, hoc eſt, ſarmenta cum racemis cædentes, confeſtim putrefactos & aridos & immaturos acinos, ſi qui forte adſint, forcipe præcidunt, ne ſimul uicinos putrefaciant, moxq; plagam ſarmentorum ſingulorum racemorum in picem liquidam immergunt. Racemos igitur ſiue botros ſingulos ſeorſim per pauimentum extendere oportet, ut alter alterum non contingat, paleis ſubſtratis, ſi fieri po=teſt lupinorum. Hæ enim duriores & ſicciores ſunt, & mures arcere poſſunt. Si uerò non ſint paleæ lupinorum, ſecundo loco fuerint fabarum & erui, & reliquorum legu minum. Ex frumentaceis autē hordeaceæ præſtant. Quòd ſi nihil harū ſit, fœnum aridiſsimum in tenues partes con ciſum ſubſternito. Cæterum folioſos ramulos ſimiliter per pauimentū extendere oportet aut ſuſpendere. Quidam in ſapam, ſireon & hepſema Græcis dictam, ad modicū tem=pus botros deponūt. Alij in capſulis picatis deponunt, cū ſcobe ſicca piceæ, aut abietis, aut populi nigræ, aut cū fa=rina miliari. Alij in marinā aquam feruentē, aut ſi hæc nō ſit, in muriam ammixto uino, racemos immergunt, & in paleis hordeaceis deponūt. Quidam cinerē ficulnū aut ui=tium aqua ferueſaciunt, botrosq; in ea rigatos, indeq; re=frigeratos, in prædictis paleis deponūt. Seruātur etiā uuæ ad multū tempus in horreis ac granarijs frumēti ſuſpen ſæ, præſer

ſæ,præſertim ſi frumentum moueatur. Etenim puluis ab ipſo exurgens, uuis inſidens multum confert ad diuturnitatẽ. Seruabis uuas etiam hoc modo. Pluuialẽ aquam decoquito, ut tertia pars relinquatur, eamq́; ſub diuũ per noctẽ exponito, hoc eſt, refrigerato, & in uas picatũ diffundito. Deinde uuæ maturæ botros ſolidiores acinos habentes, repurgatis ab ipſis immaturis ac putridis indito, donec aqua botros ſupereminea t, & diligenter operculo occludito, & gypſo oblinito, atq; poſtea uas ipſum in locum frigidum, ad quem ſol non accedit, & ubi ignis non uretur, deponito. Horũ etiã aqua uinoſa, & ad decipiẽdos ægros accommoda inuenitur, & ipſi racemi integri ſeruantur. Quidã admonẽt non ex ſuperna parte, unde racemi decidũtur, ſed ex inferna ipſius racemi parte, alligatos botros in ſuperiore domus parte ſuſpendendos eſſe, quo magis perſpirẽt ac perflentur, rarefactis per refractionẽ acinis. Cõmodum eſt etiam in dolium muſti ſuſpendi, ita ut neq; muſtum, neq; ſeipſos botri mutuo contingant. Permanent enim ita integri quemadmodũ ex uite ſunt ablati. Seruabis etiam ad diuturnitatem, ſi ſtatim poſt uindemiiã ipſos racemos illæſos & incõcuſſos in dolium conieceris, ipſiusq́; dolij oſculum diligenter obturaueris, & gypſo inducto obleueris. Similiter autẽ & in lutum figulinũ probe ſubactum ac elaboratũ, ut mellis craßitudinẽ habeat, immerſa, & ſuſpenſa, integra ſeruabuntur. Vſus tẽpore abluuntur, quo lutum illitũ inhærens decedat. Eodẽ modo etiam portulacæ ſucco illita, ac deinde ſuſpenſa conſeruantur. Quidã in uino aqua diluto aſſeruant. Per totũ autẽ annũ durat uua, ſi dum adhuc paululum aſperior eſt collectam,

aqua

aqua calida alumen ammixtum habēte rigaueris, ſtatimq; inde extraxeris. Aſſeruatur uua etiam in melle. Quæcunq; autem de uua dicta ſunt, etiam in malis conueniunt.

CONSTANTINI

CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. V.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui quintus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet ordinē de plantatione & cultura uitium, & quādo has uindemiare oportet, & quomodo abigendæ ſunt feræ uuis infeſtæ, & de præparatione œnanthes, & quomodo uua paſſa fiat, & de plantatione arundinum.*

De terra apta uitibus. Florentini. CAP. I.

A*Ptum uitibus ſolum eſt terræ nigræ, nō denſæ, & in profundo quoq; moderate habentis, & aquā dulcem cōtinentis. Talis enim terra ſuſceptū hymbrē neq; ualde deorſum mittens perdit, neq; ſupra ſe in ſuperficie aquas detinet. Aqua enim ſuperne detēta plantas putrefacit. Oportet igitur ex profundo terrā ſcrutari, ſæpe enim ſuperne nigram, infra uerò argilloſam terrā inuenimus, & uice uerſa. Optima etiā terra eſt quæ à fluentibus fluminibus rigatur & obruitur, unde laus Aegypti exiſtit. Vt uerò in ſumma dicamus, omnis nigra nō ualde denſa terra, neq; glutinoſa, humiditatem habens, ad uitem aptior exiſtit.*

Qualia genera uitium in unamquanq; terrā plantanda ſint, & quales poſitiones uitibus aptæ. Eiuſdem. CAP. II.

In præ

IN prædicta igitur nigra terra humiditatem habente et madida, alba uitis plantanda eſt. Hæc enim copioſiore nutrimento è terra indiget, ſolida exiſtens & denſa & ægre nutribilis. Argilloſa etiam terra niſi ualde tenuis fuerit, & in rimas laxata, uites albas ſuſcipit. Aridæ tamen et tenui & arenoſæ terræ eiuſmodi uites non cõueniunt, ſed quæ denſos habent acinos, & albam medullam, ut plurimum uerò nigra uua talis exiſtit, bonum & multum & durabile uinum producens, contrario modo habens ad albas, hoc eſt, ex natura ægre nutribiles. Sola tamen Pſithia, & Corycea, & quæ Chloris appellatur, quum albæ ſint, tenui terra gaudent, propterea quòd pinguiores exiſtant. Oportet enim eas quæ natura ſunt humidiores in ſqualidioribus et frigidis ac aridioribus locis plãtari: Sicciores contrà in humidis, ita enim quod uitibus deeſt, ex ſoli natura expletur. In uniuerſum itaque in pinguiorem terram, non pinguia & quæ uberius alimentum accipiũt uitium genera, ſed contrario modo habentia deponenda ſunt. In nigram uerò florida, & quæ omne alimentum à terra attrahere poſſunt. Etenim quæ uberius alimentum accipiunt, in pinguem terram poſita, fructus maturos facere non feſtinant, ſed in foliorum multitudinem efflorent. Imbecillia uerò in ſiccioribus locis, inualidiores etiã fructus proferunt. Quare oportet cognitionem & diſcretionem plantarum, et terræ uelut oſtenſum eſt facere, atq; ita temperaturam efficere. Ea nanque gratia quidam ex montanis in campeſtria transferunt plantas, rurſum'que ex campis ac planicie in montana. Terram enim contraria affectione delectari perhibent. Ex omnibus porrò

uitibus

uitibus,quæ Myrſitis appellatur, præſtantiſsima eſt:Hæc eſt enim quæ in Bithynia uinum Dendrogalenum appellatum facit, & rurſus in alijs eius regionibus Tiarenum uocatum,in Tio uerò Paphlagoniæ tianum, & in Heraclea Ponti præſtantiſsimum uinum, & omnino ubicunq; huius uini planta fuerit conſita, fructum multò alijs præſtantiorem producit, nam & uua ipſius in cibo iucundiſsima & nectarea exiſtit, ut etiam apes inde pabulum petant. Eſt autem & fertilis ualde, ut per omnem caudicem botros ferat,eosq́; rotundos,acinos uerò perſpicuos, ut et uinacea & pelliculæ tranſpareant: cæterum appendices ex quibus dependent botri, ut plurimum duras & lignoſas habet. Gaudet autem maxime arboribus & eiuſmodi altitudine,& frequenti pampinatione. At uerò uinum ex his aſsidua defecatione delectatur. Porrò optimum uinum eſt quod in aridis & inclinatis locis, & ad orientes aut meridiem ſpectantibus, uitium plantis conſitis prouenit. Verũ arboreas uites in cãpeſtri & cõcauo ac plano loco plantare aptius eſt. Meminiſſe enim ſemper, & peculiariter obſeruare oportet,quòd ad plantationẽ humilibus quidem uitibus illa terra aptior eſt,quæ in obliquis & leniter accliuibus & altioribus,& ſiccioribus locis exiſtit. Hæc enim æſtatem leniorem habebit, probeq́; perflabitur. Sed & quæ in colliculoſis locis explanata eſt, & in montium inferioribus partibus,humilioribus & depreſsis uitibus cõuenit. In huiuſmodi enim regionibus quicquid in ſummis partibus ac alto terreum & delicatum & fertile ac fructuoſum eſt, id omne defluit paulatim & clanculum, à pluuijs delapſis. At uerò in montium uerticibus uites plan

tare

tare non oportet. Humiditas enim ab his unà cum terreo deſertur, & radices nudas ac alimento carentes relinquit. In campeſtri uerò planaq́; & humiditatem habẽte terra, arboreas uites plantare oportet, & in calidioribus locis, ubi uenti nõ ualde uehementes ſunt, & ipſas in arboribus eleuatas placide perflantes nutriũt. In frigidis enim locis uenti uehemẽtes exiſtentes, arboreas uites lædunt. Omniũ autẽ uitium citra controuerſiam Theriace iucundiſſimum uinum generat, cui etiã Democritus teſtimonium præbet, quòd & ſaluberrimum & optimum uinum producat. Habet autem ſarmentum natura tenue & infirmum.

De plantario. Didymi. CAP. III.

PLantarium appellatur, in quo plantæ quas tranſplantaturi ſumus deponuntur, & ut Bithyni loquuntur, præſaginantur. Ponantur autem plantæ in plantario in profunditatem non minorem pede. Sic enim planta facile per ligonem refodietur, & magis à ſole ſemper calefiet. Quæ uerò præoculationes uocantur, et quod ſuperfluum eſt in augeſcente, auferre oportet, quo in craſſitudinem augmentum accipiat. Ablatio per manum fiat non per ferrum: ſtuporem enim nouæ uiti inducit ferri contactus. Quidam ſecundo aut tertio anno tranſplantant. Erunt enim generoſiores plantæ triennales tranſplantatæ. Plantaria rigare non eſt opus, niſi & ipſas uites rigare uelimus. Omnia enim quæ in plantario fiunt, ea etiam in uinea facere oportet.

De regionibus cœli. Democriti. CAP. IIII.

OPortet ſemper iuxta locorum naturam adaptationem facere. Si enim calidus fuerit locus, partes ad

ſeptentr

ſeptentrionem ſpectantes plantabimus. Si uerò frigidior, meridionales. Si medius & temperatus, orientales & occidentales præſtiterint, magis tamen orientales, niſi ab Euro *infeſtentur. Aliquando uerò & occidentales potiores erunt, quum procul à mari diſsitæ, fauonium inſpirantem habent. In uniuerſum autem tepidioribus locis ſeptentrionales uenti commodi ſunt, frigidis auſtri.*

De maritimis & fluuialibus regionibus.

Eiuſdem. CAP. V.

M*Aritimi loci ad uitem ualde apti ſunt, tum ob caliditatem, tum ob humiditatem, quæ latēter è mari excurrens plantas nutrit. Sed & uenti marini uitibus ſunt commodiſsimi. Pleriſq; uidetur fluuium uicinum non eſſe habendum, multóq; magis paludem & ob nebulas & ob frigidas auras. Inde enim aſsidue reſpirant, ſimulq́; exurgunt rubigines, uitem & ſata oblædentes, & noxium aërem reddentes. Quapropter oportet paludes quantum eius fieri poteſt, diligenter tollere. Scire expedit quòd quæcunque uites à uentis eiuſmodi lædi conſueuerunt, aut à nebula, aut à rubigine, hæ arboribus maritatæ amplius non lædentur.*

De tempore plantationis uitium.

Caſsiani. CAP. VI.

Q*Vidam conſulunt uere inchoante, fauonio tamen ſpirante, ſarmenta accipienda eſſe, & ſtatim plantanda. Quidam non ſtatim in ueris principio, ſed ubi iam ad germinationem ſpectant plantæ, ſarmenta accipere ac plantare iubent. Diuerſa igitur ſunt tempora plantationis uitium. Aliqui enim poſt uindemiam plantant,*

quum

quum folia uitibus defluunt. Aliqui inchoante uere. Ego uero experiētia doctus cōſulo in locis nō irriguis, autūno potius omniū plantationem faciendā eſſe, maxime uero uitē. Tunc enim ſarmenta poſt uindemiam ab onere & racemorum grauitate liberata, firmataq́;, & propriam uim recuperantia, & à glacie nōdum male affecta, citius terræ coaleſcent, & maxime natura tunc magis radices nutriente. Oportet igitur ut dictum eſt, in locis non irriguis in autumno plantare, quò inopiam rigationis hymber per totam hyemem delapſus expleat. Hoc feciſſe me memini tum in Maratonyma regione, unde originē duco, tum in alijs quos poßideo agris. & à principio quidē qui id uiderunt & audiuerunt, factum improbabant, poſtremum uero deprehenſa per uiſum ingenti cōmoditate inde reſultante, placati doctrinam meam arripuerunt & ſequuti ſunt, & hic mos uſq; in præſens tēpus apud nos obtinet ac durat. Illud tamen manifeſtum eſt, quòd poſt æquinoctium uernum uitis non eſt plantando.

Quòd prius ſcire oporteat quale uinum regio plantanda ſit reddituura.

Diophanis. CAP. VII.

MAxime neceſſariū exiſtimo ut præ omnibus uinitor prænoſcat, quale futurum ſit uinum, quod ex plantanda terra proueniet. Eius rei experimentum hoc modo contingit. Scrobem in terram in quam plantaturus es ad duos pedes effodito, & de eruta terra glebam acceptam, in uas uitreum aqua pluuiali pura repletū immittito, mixtaq́; ac conturbata aqua, uſque quo penitus deſideat ſinito, id quod ex uitri perſpicuitate tibi manifeſtum

fiet, & poſtquam perfecte deſederit, aquam ipſam guſtabis. qualis enim fuerit ſapor, tale & uinum futurum expectabis. Siquidem igitur odorem inueneris graucolentem, aut ſaporem amarum aut ſalſum, aut bituminoſum, aut aliâs non bonum, plantationem in ea terra uitabis. Si uero odoratam & iucundam & dulcem, & per omnia bonam terram repereris, confidenter in ea plantato.

Qualia eſſe oportet pangenda ſarmēta, & à quali uitis parte, & utrum à nouellis aut inueteratis uitibus detracta ſarmēta plantare oporteat. Quintiliorum.

CAP. VIII.

*Q*Vando uites perfectum iam reddent fructum, cõtemplari oportet quæ fructiferæ, & multo fructu multisq́; oculis præditæ exiſtunt, & quæ nulla clade affectæ ſunt, easq́; notare omnes, ex ipſisq́; tẽpore plantationis plãtas accipere, neq; ex nouellis uitibus, ſunt enim infirmæ, neq; ex inueteratis, ſunt enim infrugiferæ, ſed ex eis quæ in ſummo uigore exiſtunt, aut parũ quiddã ultra exceſſerunt. Sarmenta autẽ nõ ex ſummis neq; ex infernis partibus accipienda ſunt, ſed ex media uite, & ſane quod aſperum eſt ſarmentũ, & latius, & ferulæ ſimile, rarosq́; oculos habet, & radices cõtractas, abijciendũ, ſumendaq́; rotunda, leuia, ſolida, oculis denſa, & nouas gẽmas plurimas habentia. Habeant autẽ ſarmenta accepta etiã peryſini ſarmenti partẽ, & ſtatim ut ablata ſunt plantẽtur. Coaleſcit enim citius terræ recẽs ſcẽiũ, utpote adhuc trãſpirans. Si uero parua dilatione indigeat plantatio, ſimul ut ſublata ſunt ſarmenta, ipſa in terra defodere oportet,

aut ſo

aut ſoluta aut laxe reuincta, quo omnia terra fruantur, quæ neq; arida, neq; humida ualde ſit, præſtat autē propria unde ſunt ablata. Quòd ſi diutius ſeruare plantas neceſſe ſit, in dolio humorē non habente deponantur; terra ſubſtrata, & rurſus iniecta, ut undequaq; terra fruantur. Dolium uerò diligenter luto oblinire oportet, ut neq; uētus, neq; aër inſpirare poßit. Hoc enim modò etiā ad duos menſes illæſa manēt ſarmenta ad plantas delecta. At uerò quæ ex multa locorum diſtantia apportantur ſarmenta, quidam in ſcillam impoſita, aut in bulbos cibarios, uiridia conſeruarunt. Quæ autem tempore læſa ſunt, aut aridiora facta, in aquam per diem ac noctem coniecta plantato. Si uerò aridior ſit terra, etiam ſana ſarmenta rigare melius eſt, atq; ita plantare. Animaduertendum etiam ne ſarmenta quæ plantabimus ante plantationem germen emittant, talia enim corrumpentur. Cæterum ab uno ſarmēto illa pars potior eſt ad plantationem, quæ uni uſq; ad ſeptem oculos iuncta eſt. Bonum eſt igitur ſarmentum & plantationi idoneum, etiam ab uno hoc eſt Peryſino uſq; ad oculos ſeptem. Aliud autem inutile eſt. Quare non rectè faciunt quidam longiora ſarmenta in duas aut tres partes ſecantes atq; ita plantantes.

Quomodo uites plantare oporteat, & quid faciendum ſit ad celerem ipſarum radicationem, & utrum rectum aut obliquum ſarmentum ſit plantandum.

CAP. IX.

MEminiſſe oportet eos qui uitem plantant, ut ſemper radices & ſummas ſarmentorum partes ſter-

ſtercore bubulo liquido prælinant. Aiunt enim reptilia et uermiculos odore abductos non accedere. Oportet autem in omnibus plantis, quercinæ glandis contuſæ magnitudinem fabæ, & eruum fractum ac ſemel molitum, ita ut ſolum fractum ſit & diuiſum, ſimul miſcere, & plantarum locos inde conſpergere. Hæc enim et ad radicationem, & ad uini uetuſtatem, & ad fertilitatem conferunt.

Quidam uerò leguminum paleas maximè fabarum, unà cũ plantis conijciunt. Tales enim per hyemem calfaciunt, & ferarum nocumenta arcent. Quidam urinam inijciunt. Oportet autem & uinaceorum torrefactorum pugillum in ſingulos ſcrobes inijcere, ad nigra genera albarum uuarum uinacea, ad alba contra nigrarum. Licet autem etiam erectum plantare ſarmentum, præſtat tamen obliquum. Citius enim radicantur obliqua: ſiue autem erectum ſiue obliquum poſitum ſit, tres aut quatuor lapides manuales circumponendi ſunt. Deinde adiacente aggere adobruendi ita ut unà cum ſtercore æqualiter conculcemus, & obſeruemus, ne quem oculum iuxta terram excæcemus. deinde alios lapides imponemus conculcato, magnitudine prioribus pares. Stercus igitur ſimul iniectum fouet & firmat plantam. Vinacea uerò citius radicem ſpargere facit. Lapides autem prohibent ne ſpatioſa terræ amplitudo illabatur. In æſtate uerò radices perfrigerant. Sotion etiam cedria quàm minima ſummam plantæ ſedem ac baſim illinere iubet. Nam hæc putreſcere non ſinit, & reptilia adrepere prohibet ſuo odore.

Quidam ſanè terram non tranſmutantes aut eruentes, ſed ſimpliciter palo immiſſo, plantas deponunt. Mihi uerò hoc

rò hoc ualde diſplicet, præſtantior eſt enim per omnigenam ſeſsionẽ plantatio, ea quæ fit per palum. In hac enim oculi excæcantur & ſarmentum ipſum obtorquetur, In illa uerò integrum & illæſum imponitur.

Quomodo ſecundum lunam, & utrum ſupra terram aut infra terram exiſtente, uítes plantare oportet.

Anatolij. CAP. X.

M*Vlti ex ueteribus affirmant à prima luna uſq; ad quartam uites plantandas eſſe. Aliqui uerò in omnibus eius augeſcentis diebus plantare conſulũt, quemadmodum decreſcente eadẽ putare. Alij augeſcente ipſa plantandum minime cenſent. Hoc uerò in confeſſo eſt, quòd luna ſub terra exiſtente uites depangere oportet, & ligna ſimiliter ſecare eadem ſub terra exiſtente. Sotion uerò ait in illunibus diebus, hoc eſt prima & ſecunda die, uites nequaquam plantandas eſſe, itemq; reliquas arbores, priuſquam luna hominibus apparet. Quæ enim in his diebus plantata ſunt, omnia non comprehendunt, uelut ipſe tradit. Ego uerò etiã deſinente luna ſæpe plantaui, neq; pœnituit. Verũ Sotion inter illunes dies etiam uigeſimam nonam & trigeſimã locat. Oportet tamen ſarmenta luna deficiẽte accipere, tum quæ plantabimus, tũ quæ inſeremus.*

Quid in uineis ſeminare liceat.

Berytij. CAP. XI.

Q*Vidam fabas & eruum in uineis ſeminant, utpote quæ plantas illæſas ſeruare poſſunt. Quidam uerò cucurbitas et cucumeres ſerunt. Verũ experimentum docuit, commodum eſſe nihil ſeminare in uinetis. Adimunt*

enim alimentum uitibus ſeminata, & nocet etiam umbra. Maximè autem braßicam recuſare oportet, uelut natura ſiccam, & naturaliter contrariam affectionem aduerſus uitem habentem. Profecto ſi quis dum coquitur braßica, uinum uel paucißimum inſtillet, neq; coquetur, & color ipſius corrumpetur: & qui multo uini potu ſe largius inuitare uolunt, & non inebriari, crudam braßicam prius edunt. Si autem contingat complantata eſſe ex uicino uitem & braßicam, Vitis ipſa augeſcens ubi braßicæ appropinquat, non amplius directè procedit, ſed retrouertitur, contrariam affectionem ad braßicam habens. Tarentinus etiam nihil omnino inter uites ſeminandum eſſe tradit, quod ipſum & ego conſulo, utpote qui experientia magiſtra ſim uſus.

De profunditate plantationis uitium. Florentini. CAP. XII.

Mihi uidetur non minus quatuor pedum altitudine uitium ſcrobes faciendos eſſe. Quæ enim in ſuperficie plantatæ ſunt, cito ſeneſcunt, & fructum corrumpũt, modicum alimentum in modica terra ſortitæ, & æſtate exuruntur. Oportet igitur in quantum calor ſolis penetrat, in tantum effodere ac plantare, ultra autem prædictam menſuram, calorem ſolis ſe non demittere ac penetrare affirmant, niſi fiſſuras habeat terra. Si uerò minori quàm prædictum eſt profunditate plantaueris, inutiles uites habebis, & citius ſeneſcentes. Itaq; uſq; ad quatuor pedes effoſſam terram plantarũ nutricem eſſe putato, inferiorem uerò ſterilem. Non eſt autem mala ad trium pedum altitudinem facta plantatio.

Vtrum

Vtrum duo ſarmenta, aut unũ ſolum neceſſe ſit in profundo plantare. Eiuſdem.

CAP. XIII.

Mihi uidetur neceſſarium eſſe, in uinetis quidem duo ſimul ſarmenta pro uno pangere. Si enim alterum delinquat & deficiat, alterum uiuificabitur & fertile euadet. Fortaßis autem in plantarijs ineptum eſt duo ſarmenta ponere, utpote quum & denſa iſthic ſarmenta ponantur. Licet tamen & hic duo pangere, quo fortius & robuſtius ſinamus. Poſtquàm autem duo ſarmenta plantata ſunt in uineis, & iam robuſta facta ſunt, id quidem quod debilius eſt tollendum eſt, quod uero reſtat, ridicis alligandum, & aut in proprio loco ſinendum, aut trans plantandum. Si uero duo ſarmenta in uno ſcrobe ſinãtur, radices ipſæ coarctantur, & illa ſufficiens alimentum nõ acquirunt, quemadmodum neque duo infantes ab una nutrice ali poſſunt.

Quòd genera uitium non mixta plantare oportet, & maxime albas cũ nigris uuis. Florentini.

CAP. XIIII.

Non eiuſdem naturæ, neque eiuſdem temporis, omnis uitis exiſtit, ſed alia quidem cito coquitur, alia nõ. Eſt & fructuum differentia, alius enim eſt flauus, alius niger, alius albus, & alius dulcis, alius auſterus, & alius durabilis, alius non. & aliud quidem uinum inueteratũ melius eſt, aliud ſtatim potatũ. Eſt & alia alterius natura & cura. Oportet igitur horum mixturam deuitare, ut ne melius ammixto peiore lædatur. Nihil autem adeo uinum oblædit, ut quũ præcoces uuæ cum ſerotinis legũtur.

Omnium uero maxime diligenter illud obſeruandum eſt, ne albæ unà cum nigris calcentur. Multo uero melius eſt ſi non ſimul plantentur. Habent enim quandã naturalem aduerſus ſeſe contrariam affectionem.

De differentia uiuiradicum plantarum, & à ſarmento. Didymi. CAP. XV.

V*Iuiradices plantæ uitium, etiam hoc præſtare ab his quæ à ſarmento ſunt uidẽtur, quòd uiuiradices quidem confeſſum habent augmentum, utpote quæ ſemel radicem egerunt. Sarmenta uero radicationẽ expectant. Sed & tranſportatio meliorem fructum facit. Et uiuiradices quidem ſecundo anno, aut citius fructum reddunt. Plantæ uero à ſarmento, uix tertio aut quarto anno. Nõ rectè porrò faciunt quidam longiora ſarmẽta in duas aut tres partes ſecantes & plantantes. Quod enim ab una parte uſq; ad ſeptem oculos eſt, id ſolum commodum exiſtit: quod uero ſuperius eſt, inutile habetur, uelut Florentino & Quintilijs placet.*

Quòd conferat non unius ſpeciei uitem, ſed diuerſa genera ſeparatim plantare.

CAP. XVI.

C*Onſultiſſime faciunt qui tria aut quatuor uitium genera ſeparatim in uinea plantant: aut enim ſimul omnia comprehendent, aut non ſimul omnia ſpem fruſtrabuntur. Etenim ad unum aliquod genus animum conuertere, non eſt tutum. Ob id uero nõ oportet fuſim, ſed ſingula genera ſeparatim plantare, quandoquidem plurima eſt in uitibus differentia, non circa colores ſolum, ſed & iuxta qualitatem. Et uinum ipſum ex diuerſis uitibus factum*

ctum plurimam differentiam habet.

De differentia generis uitium. Florentini.

CAP. XVII.

NOn omnis uitis in omni loco idem uinum producit. Multum enim & aeris qualitas ad uini bonitatem cõfert, uiciſſimq́; obeſt. Aminea tamen ut plurimum ubiq; commodius fert, maxime uero in obliquis locis & ſquallidis, aut etiam humectis, & præcipue ſi in arboribus nutriatur. Similiter dulce uinum fert uitis quæ Amineæ ſimilis eſt, paruos habens racemos, & denſos acinos, quæ apud Bithynos appellatur droſallus, quam etiam aliqui ſimul cum Aminæa legunt & uindemiant. Sed & alba maiores racemos habẽs, in ſquallidis locis in arbores elata, optimum uinum & multum facit. Appellatur autem in Bithynia Leucothracia. Habet autem oblongos racemos & æqualis craſſitudinis acinos globo ſimiles & pingues, & tempore maturitatis ſubrubros. Habet autẽ & ipſa ſarmenta rubra. Eſt autem & uitis in Bithynia appellata Boline, citius matureſcens & ualde præcox, racemum magnum & ferè cubitalem ferẽs, & acinos plenos, albos & pellucidos, & appendices racemorum rotundas habẽs & ualde oblõgas: & quod ſola præ alijs propriũ habet, ab unoquoque oculo tria ſarmenta eijcit, alijs uix duo iuxta ſingulos oculos ſuppeditantibus. Quapropter conuenit ipſam ualde ſime cædere in putatione, ut ne quũ ualde fertilis ſit, cito elangueſcat. Sed & uitis ipſa ingentem magnitudinẽ habet, & non cito ſeneſcit, neq; ab ambiente læditur. Varium autem aërem ſuſtinere poteſt, facitq; uinũ ſufficienter quidem bonum, fortaſſis quòd in

arbores cõſcendat. nõ tamen durabile, ob ſuiipſius naturã. Cæterum non minus fertilis his eſt Aminea prædicta, quapropter hanc omnibus maxime præferre oportet. Nã Varro confirmat ſingula iugera Amineæ uitis trecentas amphoras protuliſſe. Licet autẽ plura ſarmenta eiuſdẽ uitis ſinere, atq; ſic copioſius uinũ facere. Nam in putatione longa cæſura gaudet, expetitq́; ſibi pura ſarmẽta permitti. Quapropter uitem Amineã maxime ubiq; plantare quidem oportet, ſi uero aliarũ uitium plantatio terrã præoccupauerit, licet etiã inſerere. Neq; enim deterior eſt inſitio plantatione, & maxime ſi uitis quæ inſeritur ſecũdo anno ſit proſtrata. Attamen fertilem non à primo aut ſecundo anno ꝓbamus ac iudicamus, ſed à multis annis. Sæpe enim putatores multis ſarmẽtis relictis, copioſi uini autores ad unum atq; alterũ annum exiſtũt.

Verum fertilis uitis cenſenda eſt, quæ ſarmentis moderate relictis, ſemꝑ ſimiliter fert. In uniuerſum uero multum fœcunda putanda eſt, nõ quæ iuxta ſingula ſarmenta unum botrum habet, ſed quæ iuxta unumquenq; oculum plura ſarmenta, & in ſingulis racemos habet.

Quomodo palmitem aporygem plantare oportet. Anatolij. CAP. XVIII.

PAlmitem aporygem appellatum ſic plantabimus. Scrobem pedali altitudine effodimus, ipſumq́; ſarmentum inclinatum, non decidentes ſed deflectentes, in ſcrobem imponimus, & aggeſta terra effoſſa, conſpicuã ſarmenti partem ſupra terram ſinimus eminere, ita ut altera ipſius pars uiti coniuncta uelut ab ubere alimentum trahat, altera uero in terra nutriatur, & ſic radices

agat à

agat à duabus matribus coaltum. Quæ autem hoc modo plantata fuerint & fructum facilè ferunt, & uberrima proueniunt, utpote maternis & proprijs radicibus connutrita, & triennia facta rite tranſplantantur.

De modo culturæ. Sotionis. CAP. XIX.

REgionem quam complantaturus es ab omni materia purgabis, non fodiendo tantum, ſed & aratris nouando, idq; ſæpe non modo radicibus extirpatis, ſed etiam lapidibus exportatis præſertim maioribus. Omnes enim lapides ſuperne exiſtentes, & per æſtatem ſtirpes adurunt, à ſole calefacti, propterea quòd caliditas in ſolido corpore perduret, & rurſus per hyemem perfrigerati, & præſertim parui ſtirpibus adiacentes, eas lædunt. Quemadmodũ uice uerſa faciunt qui in profundo exiſtunt. Aeſtatis enim tempore hijpſi radices perfrigerant. Cæterum terram hoc modo fodere oportet, ut quæ ſupernè eſt in profundum cedat, et quæ infernè ſurſum feratur. Sic enim quæ ſicca eſt, ſuperna humiditate fruetur. Humida uerò et denſata, ſuperna caliditate & laxatione participabit.

Diligenter porrò curandũ eſt, ut cauitates quoad fieri poteſt, æquemus, & ne concedamus cauos eſſe in uineis locos. Vbi uerò circunfoderis uites poſtquàm primo anno comprehenderint, conſequenter radices in ſuperficie acutiſſima falce auferes. Etenim uitis undiquaq; radices agere ſolita radicationem in profundum impedit.

De foſsione. Eiuſdem. CAP. XX.

PAſtinabimus hoc eſt circunfodiemus uites duorum iam annorum, in altitudinem pedum duorum, latitudinem trium. In arboraceis uitibus etiam radices arbores ingre

ingredientes exſcindimus. Quandoquidem uerò teneræ adhuc exiſtentes uitium plantæ, ſi maioribus & fortioribus radicibus occurrerint & impegerint, premuntur & infeſtantur, eapropter magnum ſpatium & diſtantiam inter uitis plantas & arbores eſſe oportet.

De uitium cura. Damagerontis. CAP. XXI.

QVod in uitibus recens plantatis redundat, amputandum eſſe uidetur, non obliqua cæſura, neq; prope oculum, ſed diſtantia ampliore duorum digitorum, nō ad boream, ſed ad meridiem, retro oculum plaga incuſſa, ne lacryma ex ipſa defluens ſubiectum oculum lædat. Si uerò is ipſe humor infeſtet, plagam amurca inſulſa cocta illinito. Cæterum oculos iterum atq; iterum circunfodito.

Quidam etiam ſtercus inſuper inijciunt. Secundo anno per ſemeſtre ſingulis menſibus fodiendum eſt. Vbi autem iam trium annorum fieri incipiunt, quod in ſuperficie redundans eſt deſecare & diligenter auferre oportet, & poſt autumnum profunditate pedis ſtercorare. At uerò uites in humidioribus locis circunfodiemus, & radices in ſuperficie ſinemus, ut quandoquidem ob multam humiditatem in profundum procedere radices non poſſunt, in latitudinem ſaltem irrigatæ ut procedant ſufficere queãt, utpote uim terræ non in profundo habentes, ſed ex latitudine ſibi attrahentes, ac conſeruantes.

Quot ſarmenta in uite quadriennali relinquere oportet, & qualibus perticis alligare. Eiuſdem. CAP. XXII.

QVarto anno nouellas uitium plantas duo ſarmenta nutrire ſatis eſt, quibus oculi quatuor ſufficiũt,

ita ut

ita ut duos quidem ad truncum excæcemus deraſos per falcem, & prohibita germinatione, ſupremos uerò duos relinquamus in augmentum plantæ. At uerò inchoante uere facta putatione, perticam iuxta depangere oportet robuſtam, rectam, longitudine à pedibus quinq; uſq; ad ſeptem. Sit autem non tenuior harundine generoſiſsima, quo neq; grauet, neq; obumbret plantam. Præſtantior autem eſt pertica corticem non habens, In corticem enim Cantharides, & quæcunq; uitem uaſtare ſolent ſubtergrediuntur et occultantur. Ipſam uerò plantam extentam paxillo alligare oportet. Cæterum ipſi uiti iam perfectæ ſex annorum putationem in humeros ter aut quater iuxta facultatem plantæ adhibere oportet, & unicuiq; ſarmento humeralem paxillum apponere, qui ſimul ſarmenta atq; racemos ferre queat.

De putatione. Pamphili. CAP. XXIII.

PVtationem à menſe Februario aut Martio inchoare oportet, à decimaquinta Februarij uſq; ad uigeſimam Martij. Quidam ſtatim poſt uindemiam putant, ablatione ſarmentorū uitē alleuari dicentes, & non uelut in uere lacrymantē alimentū perdere. Quæ tamen in Autumno putatæ ſunt, uere citius germinant, & ſi Ver frigidum fiat, & pruina incidat, adurentur. Quapropter præſtat in frigidioribus locis magis præſecare, et nō perfecte putare, hoc eſt conſpicuos oculos & ſarmenta permittere. Rurſus autē uere putare neceſſariū eſt. Inchoare porrò putationem oportet non mane, ſed ubi et pruina à ſole diſsoluta eſt, & ſarmentum tepefactū. Oportet autem falces ad putationem acutiſsimas & penetrantiſsimas eſſe.

Quæ

Quæ ad uitium fertilitatem & uini bonitatem conferant.

Africani. CAP. XXIIII.

FErtilis erit uitis, ſi putator eius hedera coronatus fuerit. Si uerò quercinam glandem contuſam ad fabæ magnitudinem, & eruum molitum ſemel, ut frangatur tantum & diuidatur, in locos plantarum inieceris, & ad diuturnitatem uini, et ad fructus ubertatem confert. Sed & ſarmenta denſos oculos habentia, fertilem ac multi fructus uitem faciunt, & uitium tranſplantatio ad ubertatem & bonitatem uini conducit. Vberem etiam uitem facies radice dulci in medio plantata.

Quando fodere oporteat perfectas uites, & quæ ſit foſsionis utilitas.

Anatolij. CAP. XXV.

FOdere oportet antequam germen producatur. quum enim ſimul cum racemorum generatione, & germen naſcatur, qui poſt effuſum germen foderit, multum fructus decutit et perdit per motum. quare citius fodere præſtat. Cæterum multa foßio, & plurima terræ diffuſio, & uitæ & alimenti, & ubertatis cauſſa eſt ipſi uiti. Quòd ſi hæc non ſufficienter facta ſit, uitibus emittentibus germen, melius eſt inhibere foßionem, & ubi iam robuſtum factum eſt germen, tandem quæ relicta ſunt operiri. Obſeruandum eſt autem ne foſſores ligone ſtirpem ſaucianтes aut pungentes lædant. Quæ enim uulnerata eſt ægrotat, & fructum non producit.

Quomodo tempore paſtinationis ſtercorare oportet. Eiuſdem. CAP. XXVI.

Libyæ

Libyæ & orientis incolæ ubi uites paſtinauerũt, non ſtatim adobruunt, ſed foſſas per totam hyemẽ ſinunt. Qui uero in pluuioſis regionibus habitãt citius ipſas obruũt, occluſis per terrã radicibus & obſtructis influxionis uijs. Et alij quidem profundiorẽ foſſam faciũt, alij uero altitudine pedali. perfectas uero ſupra foſſuram ſtercorant, bubulo aut ouillo, aut ſuillo ſtercore, aut aliorũ pecorum. Columbinum autem ſtercus calidiſsimum exiſtẽs, ad celerem quidem germinationem uitium idoneum eſt, uerum ad uini bonitatem incõmodum. Oportet autem ſingulis uitibus quatuor heminas cuiuſcunque ex prædictis quatuor ſtercoribus inijcere. Non tamen ipſi trunco uitis ſtercus inijciendum eſt, ſed paulo longius ab eo, quo etiam radices eminus progreſſæ caliditate participent, ut ne ſtercus nudis radicibus aceruatim iniectum, ipſas adurat. Quòd ſi ſtercoris ſit penuria, paleæ ſanè fabarum aliorumq; leguminũ pro ſtercore ſuccedent. Hæ enim & cõtra glaciem uitibus proſunt, & reptilibus corruptionẽ inducentibus aduerſantur. Vinacea etiam ſtercus faciunt eiuſq; uſum præbẽt. Multo uero præſtantior eſt urina uetus. At uero anniculas uites mediocriter & fodiunt, & ſtercorant, & biẽnes ſimiliter uſq; ad quinquenniũ iuxta proportionem uidelicet. In tempeſtuoſis tamẽ locis alternis annis hoc facere in nouellis uitibus commodius eſt. Si uero & glacies in illis locis cõcreſcat, etiam terram circa truncos ſtercorare conuenit. Præſtantior autem ſtercoratio fuerit, ſi quis in terra arenoſa, ſtercore ouillo aut caprino utatur. Eſſe enim hæc teneriora manifeſtum eſt.

In argilloſa uero, bubulo. Quũ enim ipſa ex natura

ſit imbecillis, dulcor & pinguitudo ſtercoris ipſam ſuffi-cienter conſolatur.

De perticarum uſu & ratione. Didymi.

CAP. XXVII.

QVidam perticas cædũt Decembri & Ianuario mẽſe, alij Iulio & Auguſto, & alij depreßius, alij altius palis uites alligant. Amineas quidem igitur reliquis altius palis alligare oportet, pedis unius mẽſura. Nõ amplius tamen ſex pedum in totum. In tenui autẽ ſiccaq́;, & harenoſa, atq; à uentis infeſtata, humiliorem facere plantam oportet, non tamen infra pedum quatuor menſuram. Paxilli porrò ab utraq; parte acuẽdi ſunt, & feruenti pice ſupernæ partes tantum, nõ tamen quas in terram depangimus illinendæ. Stent etiã perticæ rectæ, neq; inflectentur, ut ne uites ſimiles ſibijpſis faciant.

De pampinatione. Sotionis. CAP. XXVIII.

SVperflua germina adhuc tenera auferre oportet. Ita enim multam perſpirationẽ uiti exhibebis. Pampinare autem per manum oportet citra moleſtiam. Eiuſdem autẽ experientiæ eſt & putare & pampinare. Quapropter etiã aliquando rei experti ſarmentum fructum habẽs auferunt, & non habens ſinunt. A' recenti uero uite plus germinum auferendũ eſt, ut ne grauetur. Poſtquàm uero caliditas ſolis hebeſcere incipit, folia auferre oportet, quo omnes racemi à ſole concaleſiant & percocti matureſcant. Quum uero adhuc floret uitis, fodi debet.

De ſecunda pampinatione. Paxami.

CAP. XXIX.

IN uitibus recens plantatis, ſimul ut germen emittunt, poſtquàm

poſtquàm deſloruerunt, ſuperfluum circa germen auferre oportet, leniter & citra uiolentiam. At uero uites quæ fructum putreſaciunt, & uix aliquando maturum reddunt, ob terræ humiditatem, & foliorum denſitatem, triginta diebus ante uindemiam præpurgare oportet, folijs ex obliquo & à lateribus detractis, quo inſpirantes uenti uuam refrigerent. Verum folia in ſummitate relinquenda ſunt, quo aduerſus excellentem æſtus uigorem protegentia, ſoli in ſummo uitibus incumbenti umbram obijciant. Si tamen multus hymber in autumno fiat, ut intumeſcentes acini ualde augeſcãt, etiam folia circa uerticem tollenda ſunt, ne uinum aceſcat. Quidam in calidioribus & ſiccioribus locis fructũ etiam tegũt, & ſarmẽtis aridis & ſpinis ſuperpoſitis, ſiquidẽ folia non ſufficiãt. Porrò uinitor aßidue uineam circumeat, & perticas erigens, & iugum æquans (Iugum autem uocatur uitis ad perticam coniugatio) gnarus quòd quemadmodum nos ad unam corporis partem inclinati ægrotamus, Sic & uites inclinatæ, & non erectæ, nec ſtantes læduntur.

Vt uitis pedunculos aut erucas non faciat, neq; à glacie affligatur. Aphricani.

CAP. XXX.

VRſino adipe corticem illinito, & uitis pedunculos nõ producet, aut adipe urſino falces ungito nemine ſciente, quibus uidelicet uitẽ putaturus es, & neq; pedunculi, neq; glacies uitem iniuria afficiẽt. Aut falces oleo in quo alliũ contritũ ſit illinito. Si uero erucas quæ in roſis reperiũtur, in oleo coxeris, et inde falces illeueris, neq; ab alio animalculo, neq; à pruina uitis iniuriã perpetietur.

tur. Aut adipe hircino aut ſanguine ranarũ falces ungito. Aut coticula cinere cũ oleo prælita falces acuito. Vitis ſarmenta uſta & uitis lacryma permixta, cum uino in mediam uineam deponito, & uermes non enaſcentur.

Vt neq; à pruina neq; à rubigine uites lædantur. Diophanis. CAP. XXXI.

STercus aridum per diuerſa ſpatia in uinea deponito, ſecundum uineti uentum, & ubi incumbentem pruinã uideris, ſtercus ſuccendito. fumus inde elatus pruinam diſpergit. Quæ uero facile à pruina aduruntur uites tardius putare oportet, quum ad germen fundendum concitantur. Sic enim tardius effloreſcent. Quemadmodum igitur & Hippuris, uitis credita eſt pruinam minus curare, quòd ut opinor, tarde germinat, calido iam ſole exiſtente.

Quidam fabam in uineta ſeminant, & uites à pruina illæſas futuras credunt.

Aliud de pruina.

Si contigerit uites à pruina lædi, & manifeſtũ eſt fructum periiſſe, incidendæ ſunt, & ualde breuiter præſecandæ, ut uis earũ permaneat. Nam & ſequẽti anno priorem fructũ reddet. Quidã experientia in Bithynia edocti affirmant, quòd ubi ſuſpecta fuerit pruina, conueniat myricæ quidem maxime, aut ſi haberi nõ poßit, cuiuſcũq; tandem ligni cinerem in uinea diuentilare. Sic enim inſidens oculis uitis cinis, illabentem pruinam depellit.

Aduerſus rubiginem. Berytij.

Simul ut uideris rubiginem in aëre congregari, ſtatim bouis cornu ſiniſtrum unà cum bubulo ſtercore urito, & fumum multum per ambitum arui, ſecundum uentum facito,

facito, quo uentus omnem fumum ad rubiginem ferat. Diſperget enim omne aëris uitium fumus. Apuleius tradit trium cancrorum uſtorum cum bubulo ſtercore, aut paleis, aut ſtercore caprino, fumum ſufficienter iuuare. Si uero anticipet rubigo, damnum reſarcies hoc modo. Cucumerum ſylueſtrium aut colocynthidis radices aut folia contundito & aqua macerato, indeq́; apprehenſa à rubigine irrorato ante ſolis exortum. Idem facit cinis ficulnus aut quercinus maceratus & irroratus. Prodit Apuleius, ſi lauri ramos in aruum proieceris, tranſire in ipſos rubiginis noxam. Noſſe autem operæprecium eſt quòd plenilunijs maxime omnia à rubigine impetuntur, præcipue uero frumentum, propterea quòd tunc luna calidiſſima ſit & humida, noctuq́; fructus putrefaciat. Quidam Silurum piſcem conciſum urunt ſecundum uentum, per omnem regionis partem odorem ſpargentes. Quin & per naturam contraria affectione reſiſtit, ſi in cribro phocæ pellis circumponatur perforeturq́;, ita ut per cribrum ſemen excutiatur, & terra conſeminetur. Hoc idem & grandinem cadere non ſinit, naturali quadam contrarietate auxilians.

Cura uitium areſacientium fructum.

Vindanionij. CAP. XXXII.

Q*Vum acinus racemi erui magnitudinem indeptus ſiccari incipit, tunc omnem areſcētem racemi partem deradito, & à ſana, ſiue potius à ſaniore uicina areſcenti adimito. indeq́; cæſurā cinere acerrimo aceto mixto illinito. Præſtantior autem cinis eſt ſarmentitius. Sic enim quæ ægrotatura erant in racemo illita, cladem ampliorem*

euitabunt, truncus autem uitis ſimiliter oblinatur. Quidam & infernas ſtirpis partes circa radices, urina ueteri & acerrima conſpergunt. Ex hac enim medela non modo fructus ſeruabitur, ſed & ipſa uitis diuturnitatem & fertilitatem conſequetur.

De ſterilibus uitibus.

Democriti. CAP. XXXIII.

T*Runcum ſcalpro, aut ſerra, aut quod melius eſt cuneo quercino findito, & lapidē in fiſſurā indito, ut partes trunci inuicē diſparētur, et in ipſum urinā humanam ueterē infundito, ad mēſurā heminarū quatuor, ita ut eam ſenſim omni trunco circūfundas, ut etiā radices inde perfuſæ in integrū reſtituantur. Deinde inijce ſtercus terra mixtū. Oportet tamen eos qui lapidem in truncum imponunt, defodere & uertere ea quæ ſunt circa radicem. Hanc uero curam in autumno facere oportunum eſt.*

De ſyderatis uitibus, Caſiani. CAP. XXXIIII.

S*Yderatas uites cognoſces quidem ex eo quòd folia ualde ſubrubra habent. Curabis autem, ſi terebro tunicam ualde perforaueris, & per foramen quernum paxillum indideris, aut ſi parum de radice abruperis, ſimiliterq; palum intruſeris, & terram circunaggeſſeris. atque ſic ſane uitem curabis. Alij autem huiuſmodi uites marina aqua rigant, alij & has, & quæ à quocunque inſtrumento percuſſæ ſunt, oleo cum bitumine cocto oblinunt. Alij uelut in Bithynia experimento deprehenderant quomodo ſyderatis ſit ſubueniendum, clauo nimirum truncos penetrantes. Alij uero urinam humanam trunco & radicibus affundunt.*

De ægrotantibus uitibus.

Damagerontis. CAP. XXXV.

AEgrotantem uitem, cinere ſarmentitio aut quercino cum aceto mixto ad truncũ conſperſo curabis. Valde prodeſt & urina hominis radicibus affuſa. Quidam uero ægrotas uites excidunt iuxta terram, deinde leuiter obruunt terra adiacente, modico ſtercore ipſi ammixto, & quum turiones egerminauerint, debiles quidem extirpant, generoſos uero ſumunt, & rurſus ſequenti anno commodiorem ex relictis eligentes, reliquas tollunt.

De lacrymantibus uitibus.

Sotionis. CAP. XXXVI.

VItes multam lacrymam emittentes, quantam uix credi par eſt, & in totum corpus uitis non diſtributam abijciunt. Falce igitur truncum incidemus & exulcerabimus, ſinu uidelicet in ipſo facto. Si uero nihil profuerit hoc factum, etiam radicum craſſitudinem exculpemus, aut aliquo modo ulcerabimus, & amurca ad medietatem cocta ac perfrigerata plagas illinemus. Subrectum uero cæſuræ oculum foris inungemus. quod multo melius eſſe experimento conſtat.

De uitibus defluis, quas Rhyades Græci appellant. Eiuſdem. CAP. XXXVII.

VItes Rhyadas Græcis appellatas, quæ Latinis defluæ ſiue fluxæ uocari poſſunt, ex folijs cognoſces ſubalbidis & ſubarefactis, ſed & ſarmentum latũ, & inſtar lori tractile, ac molle habent. Medeberis igitur cinere aceto acerrimo ſubacto illinens ſtirpes & irrorãs quæ in ambitu ſunt trunci. Ipſæ etiam uites cinere liquido

facto reſpergendæ ſunt. Quidam uero marinam aquam radicibus affundũt, alij racemorum ſummas partes auferre & impedire ſtudio habent. Vocatæ ſunt autem Rhyades fructum non continentes, à defluxu.

De uitibus in materiæ multæ effuſionem luxuriantibus & uelut inſanientibus. Eiuſdem. CAP. XXXVIII.

EFfundentes ſe in multam materiem uites breuius præſecare oportet, exſarmentatæ enim quieſcunt. Si uero adhuc non ceſſent, facta paſtinatione, harenam fluuialem aggeremus, & modicum cinerem. Alij circum radices lapides ponunt, quo uitem perfrigerent.

De uitibus fructum putrefacientibus. Varronis. CAP. XXXIX.

SVnt quædam uites quæ fructum recens productum putreſaciunt, priuſquam racemi connutriantur & matureſcant. Talibus igitur medeberis portulacæ folio. Alij autem polentam portulacæ ammixtam trunco circumlinunt. Alij portulaca dimidiam racemi partem illinunt. Quidam cineris ueteris heminas quatuor radicibus inijciunt, aut etiam harenam.

De uitibus à ligone ſauciatis. CAP. XL.

VItem à ligone aut quopiam alio ſauciatam ſic curabis. Si plaga ſub terra fuerit, uulnus terra tenuiſſima, ſtercore caprino aut ouillo ammixto, integatur & obligetur. Deinde truncum circunſarrito, & uitis diligentem curã habeto. Si uero circa radicem fuerit uulnus, tenuem terram molli ſtercore permixtam aggerito, & frequentius circunſarrito, ſarmenta obtorquendo non

inſlectendo, uiolentiore ductu uitato.

Quomodo ante uindemiam prædiſcere liceat futuram uini ubertatem & bonitatem, aut contrà prauitatem. Democriti. CAP. XLI.

ACinum hoc eſt uuam particularē, de racemo leniter per digitos detrahito. Siquidem igitur quiddam exilierit, ubertatem oſtendit. Quidam ſi multum frumentum prouenit, etiam liquidū fructum abundaturum pollicentur. Ceterū uinum bonum & potens futurū coniectamus, ſi per uernū tempus hymbres plures fiant. Idem futurum indicant hymbres oborti quum erui magnitudinem uua habet, & adhuc acerba exiſtit. At uero quæ ad ipſum uindemiæ tempus oboritur pluuia, non ſolum aquoſum, ſed & deprauatum uinum ut uappam faciet.

Sepes ut paretur. Diophanis. CAP. XLII.

SI ſepem habere uelis munitā & ſecuram, ſcrobem cubitali effodito altitudine, in eamq; palos depāgito, & funiculum per ſcrobem extendito, præcedente autem die eruum molitū in prōptu habeto, & rubi ſemen ac paliuri & oxyacanthæ, omnia ad mellis craßitudinem macerata: poſtea uero extentū funiculū rubi & paliuri ſemine confricato & oblinito, & locum cremore irrorato, ac modico tempore ſinito. Deinde terram ex ſcrobe egeſtam ſuperiniicito, & poſt dies uiginti octo, germina producent pedalis altitudinis, quæ tranſplantabis in ſcrobē pede non altiorem, & intra duos menſes cubitalem magnitudinem excedent, conſequenter uero in magnam altitudinem eleuata omnes fures arcebunt. Hæc faciēda ſunt ſub æqui-

noctium uernum. Facile autem ſepem parabis, ſi funem rubi ſemine confricaueris & in terrã defoderis, & harun dines craſſas cõtuſas plantaueris modica profunditate, ita ut obliquas imponas & non rectas, ſtercore unà cũ terra aggeſto. Quidam ſepem hoc modo faciunt. Virgas rubi in ſegmenta conſcindunt, eaq́; in ſepibus poſita palmari altitudine obruunt, irrigantq́; donec germen crumpat. Aliqui cum moris, hoc eſt fructibus rubi maturis, funiculum per manus confricant, deinde terra & ſtercore obrutũ rigant, donec germen fundat. Democritus porrò tradit inchoante uere uſque ad quindecim dies ſepem probe plantari hoc modo. Funem nauticum in marinis operis detritum, & de cætero putrefactũ, rubi ſemine & alijs prædictis ſpinoſis, ammixto eruo confricato, indeq́; in ſcrobe defodito, & ſi fieri poteſt ſingulis diebus irrigato, Sic enim & cito, & perfecte ſepes naſcetur, & tutum munimentum præbebit.

Quando uitem uindemiare oporteat, & qualia ſigna ſint maturitatis uuarum.

CAP. XLIII.

NOn facile eſt cognoſcere quando uuas colligere & uindemiare oportet, quapropter aliqui ante maturitatẽ ipſas legentes, tenue & infirmum & non durabile uinũ faciunt. Alij cõtrà tardius uindemiãtes, non ſolum uitem lædunt, ultrà quàm conuenit onus geſtantẽ: ſed & ſi grãdo & glacies oborietur, iniuriæ expoſitum uinum habebunt. Cognoſcitur igitur uindemiæ tempus, experimento nõ modo ex uiſu, ſed etiam è guſtu ipſius facto, & tamen notas aliquas ueteribus indicatas prodemus. Tradũt enim

enim Democritus & Africanus, ſex tantum dies, & non plures recte permanere uuam maturã. Si igitur uinaceus non amplius uiridis pellucet, ſed nigricãs, uuam maturam eſſe ſignificat. Alij acinos premunt, & ſiquidem uinaceus exilierit nudus, citra omnẽ carunculæ circum ſe complexum, maturas ad uindemiam eſſe uuas iudicant. Si uero proſilierit uinaceus partem carnium ſecum trahens, maturas ipſas eſſe negant. Quidam ex eo quòd paſſa fieri incipit, maturam cõiectant. Alij maturas uuas eſſe ſic probant. Vbi denſißimus eſt racemus, inde acinum unũ eximunt, & poſt unum aut alterum diem racemũ reſpiciunt & contemplantur. Si igitur in eadem figura permanſerit locus, uelut uicinis & iuxta ſitis acinis nullum augmentum capientibus, uindemiam accelerant. Si uero exempti acini locum minorem factum uiderint, uelut circunſitis acinis auctis, uindemiam inhibent, donec augmentum progreſſum fecerit.

In qua domo exiſtente luna uindemiare oportet, & quòd deſinente ipſa, & ſub terra exiſtente, uindemiam facere conuenit. Zoroaſtræ. CAP. XLIIII.

VIndemiare oportet luna in cancro exiſtente, aut in leone, aut libra, aut ſcorpio, aut capricorno, aut aquario, diligenterq; prouidendũ eſt, ut deſinente ipſa & ſub terra exiſtente uuarum collectionem abſoluamus.

Quomodo auxiliari oporteat uuis acerbis, aut alio quodam modo corruptis, & quomodo curandum uinum ex ipſis futurum. CAP. XLV.

OPortet omnes acerbas uuas, aut aliter corruptas, à reliquo fructu ſeparare, & muſtum ex ipſis hoc modo curare. Aqua pluuialis coquatur ad medietatem, & ex hac aqua cocta, quanta fuerit decima muſti pars, ad ipſum muſtum affundito, rurſusq; cum muſto coquito, ut decima pars in coctura inſumatur. Quidam non ſic, ſed ipſis uuis aquam adijciunt, coniectantes ut futuri muſti tertiam partẽ addant, & poſtea calcatis uuis muſtum coquunt ad tertiæ partis conſumptionem.

Cura beſtiolarum uites uaſtantium. Africani. CAP. XLVI.

ENecabuntur uermes uites infeſtantes, aut partem aliquam uineæ inhabitatione ſua ægrotã reddẽtes, fimo bubulo ſecundũ uentum ſuffito. Quidã galbanũ, aut cornu cerui, aut ungues caprinos, aut eboris ſcobem, aut lilij radicem in uinea ſuffientes, beſtiolas & ſerpentes inde abegerunt. Exiges ſimiliter beſtias tales, muliebris pili ſuffitu, atq; inde etiam mulieribus difficulter & periculoſe pariẽtibus, & ob id crudum partũ ac abortum expetentibus opitulaberis, & eis quarum uterus ſurſum repit. Nam & hæ omnes has affectiones per pilorum ſuffitum curant. Alij herbam pæoniam, alij perſonaciam appellatam ſuffientes, aut iuxta uites plantantes, eiuſmodi beſtias fugãt. Quidam ſuccum Cyrenaicum & oleum coquunt, & truncos uitium illinunt, à fundo paulo ſuperius initio facto. Quo uero neque Erucæ uitibus iniuriam inferant, allio trito arbores illine.

Ad cantharidas & maiora animalia fructum uaſtantia. Eiuſdem. CAP. XLVII.

QVo uero Cantharides uites non perdant, ipſas cantharides oleo macerato, indeq́; cotem in qua falcem exacuere uelis illinito. Quidam quo maiora animalia abigant, ſtercore canino urina ueteri macerato ac diſſoluto, omnia per ambitum reſpergunt.

Naturale Democriti præter opinionem, per experimentum cognitum, ut neque uites, neque arbores, neque ſegetes, neque quicquam aliud, à quopiam lædantur, & maxime à maioribus beſtijs.

CAP. XLVIII.

CAncros fluuiales plurimos, aut paguros marinos, nō pauciores quàm decem, in uas fictile cum aqua indito, & addito operculo ſub diuum exponito, ut ad dies denos inſolentur. Deinde quæcunque illæſa eſſe uolueris, hac aqua conſpergito, id'que alternis diebus donec adoleuerint, & miraberis rei efficaciam.

De œnanthe. Florentini. CAP. XLIX.

ACcipienda eſt œnanthe à uite uinum dulce ferente, & à ſylueſtri, maxime uero arborea uite. Accipiatur autem tempore floris, ita uidelicet ut racemi auferantur, & in umbra ſiccentur. Poſtea flore puro in dolium coniecto, infundatur uini odorati & ſapæ æqualis menſura. Fricentur manibus diligenter, fiantq́; maſſæ & reponantur.

Vuæ paſſæ faciendæ ratio. Eiuſdem. CAP. L.

MVlta relata ſunt à ueteribus de uuæ paſſæ faciendæ ratione, mihi autem placuit hanc hoc modo parare.

parare. Maturos racemos ex ſarmento emotos in uite marcidos fieri permittito, & poſtea ablatos in umbra ſuſpendito, & exſiccatam uuam in uaſculum ſubſtratis uitis folijs à ſole deterſis & perfrigeratis componito. Expleto autem uaſe rurſus folia uitis ſuperne imponito, & operculo addito in domum frigidam & fumi expertem deponito. Quæ enim hoc modo parata eſt uua paſſa, & ad multum tempus durat, & ſuauiſsima exiſtit.

De plantatione harundinum. CAP. LI.

HArundines apricis locis gaudent, & à uentis nutriuntur, plantantur autem præcipue quidem per bulbos, hæc enim præſtantiſsima ipſarum plantatio eſt. Et obliquus ſanè proſtratus calamus facile germinabit. Ita autem proſternendi ſunt, ut inuicem diſtantes ſe mutuo non contingant, atq; id altitudine digitorum trium aut quatuor, & ſicut ex proſtratis harundinibus unus aut alter oculus ſurſum ſpectet. Cæterum qui recte plantantur calami, eos duos geniculos habere oportet, & duodecim digitorum profunditate plantari. Tempus autem plantationis quidam ueris initium eſſe uolunt, quandoquidem facile à glacie læduntur. Secatur harundo eodem anno, poſt ſolſtitium hyemale. eouſque enim augeſcere creditur harundo. Aiunt calamos ſuper fumum poſitos beſtiolas ſiue uermiculos Ipas appellatos, qui uel maxime uitem infeſtant, non amplius nutrire. Ex putreſcentibus enim harundinibus aiunt tales uermiculos enaſci, indeq; ad uites progredi.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. VI.

HAEC inſunt in hoc libro, qui ſextus eſt ſelectarũ de agricultura præceptionum, & continet ſtructuram torcularis, & lacuum ſiue uaſorum ſubtorculariũ, & uaſorum olei, et cellæ uinariæ, & ſedem doliorum, & curam eorundem atque picationem & præparationem ad uindemiam, & quomodo uuæ calcãdæ ſint, & quomodo muſtum in dolia condendum, & ut hoc ipſum nõ ſupereffundatur, & quomodo poßibile ſit muſtum per totũ annũ habere, cognoſcereq; num aquã habeat, & quomodo aceſcẽti opitulãdũ, & de gypſatione.

De torculari, & uaſis ſubtorcularibus, & uaſis olei. Florentini. CAP. I.

ABſoluto de plãtatione uitium ſermone, dicturiq; deinceps de diligentia & cura circa uina adhibenda, neceſſarium eſſe duximus præponere, quomodo torcular & ſubtorcularia uaſa conſtruere oporteat. Torcular itaque iuxta multitudinẽ apportandorum fructuum ædificandum eſt, quo habeant operarij locum, in quo commode diuerſari queant, & ut ipſæ uuæ habeant ſpatium commodi ſitus, ut & tempore urgente fructus maiore compendio afferri poßit, & ne operarij à muſti elatione & odore ſuffocentur. Oportet autem totum torcularium undiquaque leuißimo tectorio oblitum eſſe, neque minus tabulata ſuperna, ut nihil terreum, neque animalium

lium

lium ullum in ipſis generatorum, delabens uinum inquinet. Sit amplius torcular calidum, & lumen habeat undiquaq; plurimum. At uero lacus & uas ſubtorcularium ſit amplioris, & poſt uſum lauetur aqua marina, aut muria calida, & cum ſpongia detergatur. Relinquatur autem ſine operculo, ne computreſcat, & quãdoquidẽ mures aliquando in ſubtorcularium lacum incidentes, multam graueolentiam inducunt, lignum latius imponendum eſt, per quod euadere queat mus ſi quãdo illabatur. Quãdo autem eo quis rurſus uſurus eſt, ſimiliter lotum, & deterſum ſuffumiget. Porrò uas in quo oleum de torculari excipitur, anguſtum eſſe oportet.

De cella uinaria & doliorum locatione ac ſede. Eiuſdem. CAP. II.

DOmus quæ dolia ſuſcipit, in regionibus calidis, ad orientem et ſeptentrionem feneſtram habeat. In frigidioribus uero ad meridiem. Sit autem procul à torculari, & ab omni graueolentia remota. Dolia ipſa locanda ſunt ut uiciſſim & mutuo ſe non contingant, pedali menſura in medio relicta, quo & hi qui cellæ uinariæ curam gerunt, facilem habeant ad interiora dolia ingreſſum, & ut ſi unum doliũ aceſcat, propinquũ ſibi nõ ſimul peruertat. Nihil enim adeo uelociter cõtagionem percipit, uelut uinũ, præſertim muſtum. Cæterum dolia in ſiccis locis locanda ſunt, ut in terra ſint duæ ipſorũ partes, ſi regio infirmũ, & tenue, & nullius nutrimenti uinũ ferat. Si uero potens & craſſum, dimidia ipſorũ pars. Subijciẽda unicuiq; dolio harena craſſa & ſicca, ſuper hãc uero inſternẽdus eſt iũcus unguẽtarius mediocri copia. Reliquũ terra aggeſta

aggeſta explēdū,quæ cōmode ſit ad ſolē exaſſata. Harena enim et terra ſicca,omnē humorē in ſeipſas adtrahūt,tum ex terra,tum eū qui in ipſis dolijs cōſiſtit,ampliusq́; dulce uinū faciūt. At uero uim ipſius hoc modo cōiectare licet. Si nanq; nouam ſportulā harena expleueris,uinumq́; aceſcens infuderis, percolabitur purum & ſine odore: Si uero non adſit harena, terra oblata utendum prius inſolata. Nihil porrò fœtidū cellis uinarijs concludendū eſt, uelut eſt coriacea graueolētia,caſeus,allium,oleum,ficus, uaſa inutilia. Omnia enim huiuſmodi humiditatē de uino attrahunt & computreſcūt, rurſusq́; ad uinum ipſum graueolentiā referunt. Semouenda eſt etiam cella uinaria à lacu, ſtabulo equorū, loco ſeceſſus, ſtabulo palearū, piſtrino, & balneo. Si uero reperiantur circunſitæ arbores,excidātur. Radices enim ſe circumplectētes eam corrumpunt, & odorem de ſe affricant, & maxime fici & punicæ. Si uero rurales locos incolamus,pauimentum lateribus inſternemus in altum ſubuectum, & in ipſo conſtrato pauimento dolia locabimus,harena ſubiecta.

De ſtructura doliorum.

Anatolij. CAP. III.

NOn omnis terra apta eſt operæ figulari. Verum ex terra figulina alij præferunt colore fuluam, alij albam,alij utraſq; commiſcent. Quidam igitur hac probationis nota contenti,dolium probe fictum iudicant,ſi pulſatum ſonitum quendam acutum & clangorem reddat. Verum non eſt hoc ſatis,ſed ipſum ſtructorem operæ figulari adeſſe oportet, & quo lutū probe elaboratū ſit prouidere, & non prius ſinere ad rotam adhibere, quàm lutum

tum ipſum oſtendat quale ſit dolium aſſatum futurum. Non omnia autẽ dolia figuli ad rotam adhibent, ſed parua tantum. Maiora enim humi ſita quotidie in calido domicilio exædificãt, ac magna faciũt. Nõ parua uero artis figularis pars eſt aſſatura. Oportet autẽ neq; minus, neq; plus ignem ſubijcere, ſed moderate. Quapropter aliqui tanti apparatus ac ſtructuræ difficultatem recuſantes, ueteribus dolijs utuntur, quod maxime uino nocet. Ex dolijs porrò præſtantiora ſunt longiora & uentrẽ extuberantem habentia, & oſcula maxime aperta: labra autem doliorum facienda ſunt ut extra nutent, ut quum cinere ipſa oblinimus, nihil illabatur in ipſa ubi rurſus aperimus, ſed extra uoluatur. Statim autẽ dum adhuc calent picãda ſunt. Sintq́; dolia nõ magna. In talibus enim non amplius efferueſcit, utpote non coarctatum, ſed ſuperabundans ipſum contra ſeipſum inſurgit, & non ſolum odorem, ſed etiam florem deſpuit & reiectat. Parua autem uaſa multum & ad cuſtodiam, & ad uini bonitatem cõducunt. Et ob id parua dolia cõſtruere expedit. Si uero magna dolia uetera prius habeamus, imbecille & deterius in ipſa infundimus, præſtantius autem in minora.

De tempore & modo picationis. Eiuſdem. CAP. IIII.

NOua dolia ſtatim à camino accepta picanda ſunt, uetera uero ſub caniculæ exortum. Quidam ſingulis annis, quidam alternis ipſa picant. Melius autem eſt ut picentur, quum aut uinum uappa factum eſt, aut pix oblita defluxit.

Picis probatio. Didymi. CAP. V.

Picem

PIcem ueteres prodiderunt optimam eſſe ab Ida alla=tam, ſecundo loco ex Pieria. Alij Rhodiam præferunt, alij Rheticã. In uniuerſum autẽ melior eſt pinguis, ſplen=dens uerò etiã potior exiſtit. Tenuior autẽ ut uitioſa re=probatur. Aliqui calfactam in aquã frigidã diffundunt, et nõ modo per odorẽ, ſed etiam guſtu experimentũ capiũt. Sed & quæ dum coquitur non exilit, neq; bullas, neq; ſtre pitum facit, optima iudicatur. Quæ uerò ſapore dulcior, & purior, & leuior, & odorata eſt, præſtantior habetur. Similiter pix cocta melior eſt quàm cruda, & ſicca liqui=dæ præfertur. Optima autem pix hoc modo præparatur. Inditur in peluim fictile & ponitur in ſolem ſuper modi=cum ignem, deinde infunditur ad ipſam aqua calida per ſarmentitium cinerem excolata, & pix fortiſsima euadit. Vbi igitur conſtiterit, poſt horas duas diffunditur, rur=ſusq; tantum aquæ affunditur. Per triduum igitur ſingu=lis diebus ter id faciunt, & incidentem humorem ſpongia extrahentes, quæ remanet inde picem commodiſsimam eſſe tradunt. Arida pix etiam amara eſt, Cum uino igi=tur cocta commodior redditur, & maxime ſi quid ex odo ratis ſimul coquatur, præſtantior euadit. Liquidam au=tem ad tertias decoctam, ut idoneam in uſum aſſumunt. Quidam cinerem ſarmentitium in ipſam inijciunt, ac co=quũt. Alij etiam ceram ad cinerem addunt. Quidam lixi=uium cineris, & uinum uetus infundunt. Quidam ceram per ſe ammiſcent, ex ſardis tamen allatam. Hanc enim com modiorem eſſe affirmant. & alij quartam, alij ſextam, alij decimam partem liquefaciunt. Si enim auſterius uinum facere uolumus, plus ceræ additur. Quidam autem conſu=

lunt ceram in totum non eſſe in picem conijciendam. Acerbius enim inde uinum fieri aſſerunt, ut eo procliuius in uappam tranſmutetur.

Picis præparatio. Eiuſdem. CAP. VI.

IN Italia *picatione utũtur huiuſmodi. Picis minas* X L. *ceræ minam. ſalis ammoniaci drachmas* V I I I. *mannæ thuris drachmas* I I I I. *ſimul contuſa & cocta fœni græci drachmis octo conſpergunt, & ex unitis ſimul dolium picant. Alij picis aridæ talentum, ceræ minas* X V. *erui & frumenti molitorum libras* I I I. *fœnigræci toſti tuſiq́; ac cribrati tantundem, calami aromatici, folij malobathri pilulas quinque, liqueſcibilibus liquefactis, & aridis contuſis, aloës hepatitidis cribratæ minæ dimidium inſpargunt. Hæc picatio præſtantiſsima eſt. Nam et infirmum uinum corroborat, & quod facile corrumpitur, durabile conſeruat, & odorata uina facit.*

Vniuerſalia præcepta de picatione. CAP. VII.

O*Ptimum eſt in omni picatione, picem per lixiuium cineris lauare, & reſinam lentiſcinam, aut pini, aut ſi hæ haberi nõ poſsint, quæ ad manum eſt ammiſcere, iridis item & fœnigræci modicum. Etenim fœnum græcũ potentius & grauius uinũ facit. Inſuper & coſtum & caſiam, & melilotum ac iunci odorati florẽ. Hæc enim ad odoris iucunditatem conferunt. In ſumma autem, ad uinum probe excultum, uaria picatione uti expedit. In uilibus uerò uuis bona pice cõtentum eſſe oportet, ad eamq́; iridem & fœnum græcum modica parte addere, multo uerò minus de cera. Amplius enim de ipſa coniectum uinum uappam fa*

pam fa

pam facit, uelut prædiximus. Cera autem utendum eſt alba, aut aliâs pura. Quidam recte faciunt qui arundinem & lignum rectum in uacuata dolia indunt, quo culices illapſi, aut etiam alia eiuſmodi animalia, per illa euadere queant. In recens picata dolia præſtantius uinum non eſt infundendum, ſed quod iam uapidum factum eſt. Melius enim inde reddetur. Vinum nigrum ſimiliter in eiuſmodi dolia infundendum eſt. Album uero in ea quæ ante duos aut etiam plures annos ſunt picata.

Alius modus probatus picationis doliorum. CAP. VIII.

HYſſopi Cretici aut Campani libras duas, nardi Indicæ aut Gallicæ libras duas. Aloës bonæ ſeſquunciam. Croci Siculi ſeſqũciam. Iridis Illyricæ libram unam. In menſuram decem amphorarum poſt factam picationem doliorum inſpergito: per latera ipſorum, & ſub ipſa oſcula, pice nōdum perfecte frigefacta, ut ſit frigida, neq; ſupercaleſcente adhuc, ne pharmacum comburatur. Deinde nouum uinum immittito, & poſt paucos dies ubi guſtaueris, benefragrans reperies, & uetuſtum eſſe putabis. Repicabis autem dolia ſingulis annis, aut omnino alternis, menſura & compoſitione pharmaci utens uelut præſcriptum eſt.

De illitione doliorum. Varronis. CAP. IX.

POſt picationem quidam paulò ante quàm muſtum infundatur, dolia illinunt, alij oſcula tantum, alij uerò opercula. Illitio autem eſt pix cum ſapa & aqua marina. Alij picem liquidam & muriam in ſapam indunt, & ex permixtis oſcula per ſpongiam illinunt. Alij

ſola amurca opercula linunt.

De præparatione in uindemiam. Didymi. CAP. X.

T*Orcularia uiginti diebus ante uindemiam aperienda ſunt, quo perflentur & tranſpirent, aqua etiam marina reſpergenda ſunt, & ſuffumiganda.*

Quid facere oporteat Canthelijs præfectos, & quomodo calcandæ ſint uuæ, & quomodo in torcularibus diuerſari oportet eos qui ad calcandas uuas ſunt deſtinati. Apuleij. CAP. XI.

Q*Vi maioribus corbibus, canthelijs appellatis, præfecti ſunt, folia eligant, & ſi quis acerbus aut aridus racemus afferatur. Oportet autẽ & calcantes, ſi quid cophinis præfectos fefellit, eligere. Folia enim cum uuis cõtrita, uinum magis adſtringens & ex facili corruptibile faciunt. Ex acerbis autẽ & ſiccis racemis magnum detrimentum accedit. Cæterum iniectas in torcular uuas ſtatim pedibus conterant qui ad hoc ſunt deſtinati, omnesq; acinos æqualiter cõculcantes ſtemphyla, hoc eſt, uinacea extrahãt, quo plurima liquoris pars in lacus ſubtorcularios defluere poßit, & ubi iterum calcarũt diſcedant, & poſt quàm calida & non ualde humecta fecerint uinacea, ita ſub lignũ præli imponant. Calida enim & mollia exiſtentia, magis fluida fiunt. Si uerò ualde humida ſuperponantur, neceſſe eſt onere impoſito diſrũpi ac diſparari cõpoſita. Ingredi autẽ in torcular calcatores oportet, pedibus ualde bene lotis ac purgatis, & nemo ipſorũ quicquam in torculari neq; edat, neq; bibat, neq; ſæpe ingrediatur*

& exeat

& exeat, & ſi qua neceßitas abeundi fiat, ne nudis pedibus abeat. Oportet etiam calcatores indutos eſſe & cingula habere, ob urgentes ſudores. Bonũ item odorẽ in torcularibus ſemper procurare oportet, aut per thus, ſiue per aliud quoddam ſuffumigium. Verũ quod noſſe operæpretium eſt, Stemphyla nõ ſolum oliuarum nuclei ſunt, uelut quidã exiſtimant, ſed etiam uuarum uinacei. Si igitur ſtemphylorum uocem audieris, ad rem ſubiectam animũ aduerte, & aliquando uuæ uinaceos, aliquando oliuæ nucleum, pyrena alias Græcis dictum, accipe.

Poſt perfectam uuarum calcaturam, quomodo muſtum in dolia condendum. Diophanis. CAP. XII.

D*Olia ante uini infuſionem, muria meraca per ſpongiam emundare oportet, & thure ſuffumigare. Oportet autem neque ualde plena facere, neque nimium defectuoſa, ſed coniectare quantum uériſimile eſt muſtum efferueſcens augmentum facere, ut ne ſuperfundatur, & ut ſpuma uſque ad labra eleuata, quod impurum eſt ſolum expuat. Purgandum eſt conſequenter muſtum in dolijs ad dies quindecim, et tum manibus, tum ſcyphis ſpuma auferenda, & ſi quid aliud ſuperfluum fuerit: purgamenta uerò omnia extra locum in quo dolia ſita ſunt exportentur, & ualde procul reijciantur. Si enim in uicino manſerint, culices ex ipſis corruptis & peruerſis enaſcuntur, & malus fœtor excitatur, quæ ambo uinum in uappam peruertunt. Quare bonum odorem ſemper torcularibus procurare oportet per ſuffitiones, maximè uerò cellæ uinariæ eo opus habent.*

Quomodo poſt defluxum muſti ex torcu-
lari, uinaceis ſtatim eiectis, ex ipſis loræ
ſpecies, Thamna appellata Græcis, facien
da eſt. Anatolij. CAP. XIII.

STemphyla, hoc eſt, uinacea poſt muſti defluxũ eueſtigio eijcienda ſunt, & in dolia indenda ac poſtea conculcãda. Etenim fex ex his, quã uernacula lingua Thamnam appellant, non iniucundus potus ruralibus fit, ipſáq; deinde reſiantia uinacea abundãs alimentũ brutis præbẽt. Oportet autẽ ſtatim ut uinacea ex torculari ablata ſunt, & torcular & lacus ſubtorcularios euertere, & aqua marina aut muria per ſpongiã expurgare, & ſuffumigare. Humor enim remanẽs omnino corruptus aceſcit, & proinde fructũ qui ſequenti die calcatur corrumpit, & culicẽ gignit, quod ſignum eſt uini in uappam peruerſi.

Vt muſtum non ſuperfundatur.
Florentini. CAP. XIIII.

COronam ex pulegio aut calamintha, aut origano, ad colla uaſorum circumponimus. Quidam interna doliorum labra caſeo bubulo perlinunt. Cohibet enim intro muſti ipſius feruorem.

Quomodo muſtum ſtatim in uſum ueniat.
Eiuſdem. CAP. XV.

IN metretam muſti heminam aceti dulceſcentis conijce, & poſt triduum purum erit. Cæterum quomodo citius ſedetur muſtum, in tertio libro Diophanis pulcherrimas methodos inuenies.

Vt muſtũ toto anno habeamus, & ſciamus
an aquam habeat. Eiuſdem. CAP. XVI.

MVſtum quod ex uuis ſponte diſtillat antequam calcentur, quod ipſi Græci aliqui prochyma uocant, eodem die in uas intra & extra picatum conde, ita ut ad medietatem uaſa impleantur, & operculo addito diligenter gypſo obline. Ad multum enim tempus muſtum ualde dulce permanet. Multo uerò magis conſeruabitur, ſi uaſculum per pellicullam obturatum & concluſum, in puteum ad dies triginta demittatur, propterea enim quòd non efferueſcit, ſemper muſtum erit. Si quis autem leniter calcauerit uuas ut non premantur, etiam hoc ipſum muſtũ durabile habebit. Alij in uetera uaſa à uetere uino, muſtum infundunt. Quidam uas intra et extra picatũ, uelut dictum eſt, in puteum imponunt, ut labra tantum ſuperemineant, quod ipſum & experimento optimum eſſe conſtat. Alij in harenam humidam uas defodiunt. Alij ſuper uas uinaceis obrutum, harenam humidam accumulãt. Alij in uas non picatum muſtum condunt, & nitro Alexandrino tuſo adiecto, in umbra deponunt. Muſtum porrò an aquam habeat, in ſequenti capite reperies.

Vt ſciamus an muſtum aquam habeat. Sotionis. CAP. XVII.

PIra ſylueſtria, hoc eſt, crudiſsima in muſtum conijce, & ſi quidem aquam habuerit, ad fundum mergentur.

De gypſatione. Didymi. CAP. XVIII.

GYpſum indatur in uas latum, deinde affundatur muſtum, tantum ut ſuper gypſum emineat, moueatur'que frequenter, & ſic uſquequo deſideat relinquatur, quo uidelicet craſsiores gypſi partes ad fundum ferantur. Superſtans deinde muſtum exhauriatur, ita ut

nihil ex gypſo inhæreat, commotione facta.

Quomodo muſto aceſcenti opitulemur. CAP XIX.

VVæ paſſæ donec intumeſcăt maceratæ, deinde expreſſæ, heminæ duæ in amphoram inijciantur. Aut per harenă fluuialĕ ipſum muſtum, uelut dictũ eſt, percoletur. Aut ſandicis drachmæ quatuor inijciantur.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. VII.

HAec habentur in hoc libro, qui ſeptimus eſt ſelectarum de Agricultura præceptionum, & continet ex ordine deſcriptionem differentiarum uinorum, & de cura ipſorum, & guſtatione, & de transfuſione in alia uaſa, & quædam alia utilia.

De differentia fructuum. Quintiliorum. CAP. I.

COncauæ regiones multum uinum faciunt & uitioſum. Altæ uerò melius. Nimirum cocto fructu à uentis, & alio aëris temperamento, & maxime à ſolis potentia. Non ſolum enim ualidiores & potentiores uuas ſol efficit, ſed & dulciores, ſi multum calfecerit. Luna etenim ſola uuas maturas facit calida exiſtens & humida. Nox uerò ſola dulces reddit. Multa igitur inſolatione opus habĕt, quo durabilius uinum fiat, & citius ad uigorem perueniat, & perfletur. Fructus etiam ex calidis regionib

regionibus uinum durabilius facit, ex alijs autem partibus, aut cruditatem aliquam terræ habentibus, uinũ exolutum & infirmum facit. Si uitis paucas uuas produxerit, potentius uinum facit, utpote alimento & uiribus omnibus in ſolum illum fructum inſumptis.

Quibus uinis locus ſub dio cõueniat, & quibus ſub tecto. Eorundem. CAP. II.

F*Ortius uinum ſub diuum locandum eſt, auertatur autem ab occaſu & meridie, parietibus quibuſdam appoſitis. Tenuia uero uina ſub tecto ponenda ſunt, feneſtræ autem faciendæ altiores ad ſeptentrionem & orientem conuerſæ.*

De differentia noui & ueteris uini, & ab alba & nigra uua. Diophanis. CAP. III.

N*Igræ uuæ uinum potentius habebunt, Albæ medium, fuluæ iucundius paulò quàm nigræ. Nouum uinum frigidiſsimum eſt, Vetus calidiſsimum & potentiſsimum ac odoratiſsimum. Quod enim in ipſo eſt aquoſum, tempus conſumit.*

Quomodo curare & durabile facere uinum expediat, ex uua diu madefacta, quum adhuc eſt in uite, & ſimiliter ex ea quæ poſt uindemiam madefacta eſt. Democriti. CAP. IIII.

S*I pluuioſus ſit annus, & contingat uuam adhuc in uite exiſtentem amplius madefieri, aut etiam poſt uindemiam, pluuia impetuoſe oborta, accidat eandem plus quàm conuenit irrigari, neceſſario ipſam calcabimus. Si uero muſtum à uindemia collectum imbecillius eſſe didiceris, id*

quod guſtu doctore tibi continget. Poſtquam *uinum in dolia conditum primo ardore ferueb it, ſtatim ipſum in alia dolia transfundas. Quicquid enim in ipſo fuerit aquoſum in fundo manet, propter grauitatem autem adijcies in uinum ſalem, in decem metretas hemunas tres. Quidam melius facientes uinum coquunt uſquequo uigeſima ipſius pars decoquatur, & gypſi uigeſimam partem adijciunt.* Lacedæmonij *tandiu ſupra ignem eſſe uinum ſinunt, donec quinta pars decoquatur, & poſt quatuor annos eo utuntur.*

De apertione doliorum, & quid obſeruare oporteat tempore quo ipſa aperimus. Zoroaſtræ. CAP. V.

D*Olia aperire oportet, ſyderũ exortu obſeruato ac uitato. Tunc enim motus fit uini, & non cõuenit ipſum contrectare.* Et *ſi quidem in die dolium aperis, ſoli umbrã offundere oportet, ne eius ſplendor uino illabatur. Si uero noctu neceſſitate ſæpe urgente, dolium aperturus es, aduerſus lunæ lumen itidem obumbrabis.*

De uini transfuſione, & quando uina tranſfundere oportet, & quod differentiam habeat uinum in eodem dolio conditum. Zoroaſtræ. CAP. VI.

V*Inum in alia uaſa transfundere oportet borealibus uentis ſpirantibus, nequaquam uero auſtralibus: & infirmiora quidem uere, fortiora autem æſtate: quæ uero in ſquallidis locis nata ſunt, poſt ſolſtitium hyemale.* V*inum transfuſum in alia uaſa in plenilunio, acetum fit.* N*oſſe autem operæpretium eſt, quod uinum à fece, unde alimẽtum habet,*

habet,ſeparatum,tenuiorum partium & imbecillius red=ditur. Prouidendum *igitur eſt, ut hyeme quidem caleſiat, æſtate uero refrigeretur.* Transfuſio *ipſa facienda eſt, lu=na augeſcente ſub terra exiſtente.* Sotion *tradit in præ=lunaribus maxime diebus transfuſionem fieri debere, hoc eſt prima & ſecunda die, priuſquàm luna hominibus ap=pareat.* Oportet *autem uitare, quum de dolijs in parua uaſa uinum traijcimus, ſtellarum exortus.* Mouetur *enim fex in exortibus, & maxime dum florent roſæ. amplius au tem uite germen fundente.* Conſulunt *ſapientes & ma xime* Heſiodus, *ubi apertum eſt dolium, id quod in princi pio, & iuxta fundum eſt dolij, uinum conſumendum eſſe, medium uero in dolio ſeruandum, uelut fortius & durabi=lius, & ætati ferendæ idoneum.* Vinum *enim quod ad oſcu lum dolij eſt, infirmius eſt, utpote quod ob aëris familiarita tem perflatur & tranſpirat.* Quod *uero ad fundum eſt, ci to peruertitur & aceſcit, utpote feci uicinum.* Cæterum Heſiodus *ſic ait:*

Principio *uaſis ſaturum & fine eſſe iubemus,*
In *medio parcum.*

Oportet *porrò eũ qui in fictilia dolia uinum transfundit, non uſq; ad labra fictilium uino explere, ſed paulo infra collum, ut ne ſuffocẽtur, ſed perſpirationem habeãt.* Dolia *autẽ euacuata ſtatim muria detergẽda & mundãda ſunt, aut cinere ſarmentorum, aut cimolia, aut argilloſa terra.*

De tempore & modo guſtandi uinum.
Florentini. CAP. VII.

Q*Vidam borealibus uentis flantibus uinũ deguſtant. Incommota enim tunc, & imperturbata uina ma=nent*

nent

nent. Verum experti œnoptæ magis auſtro ſpirante uinũ guſtant. Auſter enim maxime uinum mouet, & quale ſit arguit. Qui ieiunus eſt, uinum ne guſtet, hebes enim ſtupidus tunc eſt guſtus, ſed neque à uini potu, aut crapula id faciendum eſt. Oportet autem guſtantem, neq; acres cibos, neq; ualde ſalſos, neque eos qui guſtum comedẽtis immutant, præſumere. ſed quàm pauciſſimo cibo uſum eſſe, eoſq; nondum concoxiſſe. Emptoribus porrò borealibus uentis exiſtentibus, guſtum exhibere conuenit. Quidam emptoribus impoſturi, dolium nouum habent, quod optimo & uetere ac odoratiſſimo uino imbuũt. Permanet igitur ad multum tempus ea qualitas in ipſo, ut putetur odoris fragrantia uini iam immiſſi eſſe, atq; ita decipiunt guſtantes. Quidam malicioſiores caupones, caſeum & nuces in propatulo deponunt, ut ingredientes adtrahant & illiciant ad cibum, quo exactus guſtus ſenſus inde corrumpatur. Hæc ſcripta ſunt mihi, nõ ut ipſi faciamus eiuſmodi impoſturas, ſed ut ne per tales circumueniamur. Oportet autẽ agricolam ſæpe guſtare, & nouum & uetus uinum, ut non lateat ipſum, ſi quod ex ipſis fugam apparet.

De probatione uini & muſti, an aquam habeant. Democriti. CAP. VIII.

NEceſſarium eſt herum ſæpenumero curatoribus, & famulis uinum aut muſtum concredere. Similiter autem neceſſarium eſt emptorem experiri an uinum purum exiſtat. Malum igitur quidam in uas inijciunt, melius autem pira ſylueſtria, alij locuſtam, alij cicadam, & ſiquidem innatauerint hæc, purum eſt uinum. Si uero merguntur, aquam habet. Quidam harũdinẽ, aut lignum, aut papyrũ,

aut fœnum, aut aliquid aliud ſarmentoſum, oleo illinunt, & deterſa in uinum immittunt, atq; poſtea harundinẽ, aut quicquid tandẽ iniecerunt, extrahunt, & inde experimentum ſumunt: ſi enim aquam habuerit, guttæ in oleo cõgregabuntur. Quidam ſimpliciore experimento utuntur. In ollam nouam uino nondum imbutam infundunt, & per biduum ſuſpendunt. Perſtillabit enim olla, ſi aqua fuerit ammixta. Alij calfaciũt uinum, & in ollam nouam mittunt, atque ſub dio exponunt. Si igitur aquam habeat, tranſmutatur in acetum. Quidam ad titanum, hoc eſt calcem uiuam, uinum inijciunt, & ſi quidem habuerit aquam, calcẽ diffundet. Si uero purum eſt, calcem conglutinabit. Aliqui in ſartaginem oleum feruens habentem, uinum defundunt, & ſi aquam habet, ſtrepitus bullas excitantes reſilient. Quidam ſpongiam nouam oleo imbutam oſculo uaſis obdunt & intorquent, & ſi aquam habet, per ſpongiã permanabit. Eodem experimento etiam in oleo utimur.

Quomodo ab aqua ſegregetur. Aphricani. CAP. IX.

ALumen liquidum in dolium uini mittito, deinde ſpongia oleo imbuta oſculum obturato, & ex inclinato effluere ſinito. Sola enim aqua effluet.

Quibus temporibus uina in uappam permutari ſolent. Paxami. CAP. X.

OMne uinum ut plurimum aceſcit, & in uappã tranſit circa pleiadum occaſum, & circa ſolſtitium hybernum, aut effloreſcente iam uite, & circa ſolſtitiũ æſtiuum, & ſub caniculæ æſtum, et in ſumma circa omnes acceſſiones & frigoris & caloris, aut largorum hymbrium.

Idem

Idem contingit & propter uiolentos uentos, aut uehe-mens tonitru, aut etiam iuxta tempus quo roſæ florent, aut à fulgore uiolento.

Vt neque tonitrua, neque fulgura peruer-tant uina. Zoroaſtræ. CAP. XI.

FErrum operculis doliorum impoſitum, noxam à fulgure & tonitru detrahit. Quidam lauri ramos imponunt, per naturalem contrarietatem auxiliaturos.

Quomodo præuenire liceat, & non permittere ut uina peruertantur, ſed durabilia ſint. Frontonis. CAP. XII.

SAl toſtus iniectus, uinum in uappam abire prohibet. Impedit autem & feruorem ſe ultra quàm cōuenit ex-tendere, & ſpumam uberiorem ſuperſtare. Amygdalæ dulces in uinum nigrum coniectæ, diuturnum ipſum con-ſeruant. Vua paſſa exempto uinaceo, cum harena made-facta muſto aut ſapa, pingue & durabile uinum facit. Quidam ad hanc rem, uuam paſſam ſua ſponte in uite fa-ctam præferunt, & deniq; ipſa ſingulatim utuntur. Gy-pſum iniectum à principio quidem acrius uinū facit, pro-greſſu uero temporis acre quidem tranſpirat, utilitas autē de gypſo reſultans ad multum tempus perſeuerat, durabi-léq; uinum facit, & aceſcere non permittit. Fœnū græ-cum etiam ſolē toſtum, ſi concidatur & miſceatur uino, idem præſtat. Vinum peruerſum in uappam, ſi à propria uitioſa fece ſegregetur, & ſuper uini boni fecem fundatur, diuturnum erit. Quidā tedas accenſas in muſto extin-guūt, & uinū trāſmutari non permittūt. Alij ferrum can-defactū ſimiliter in muſto extinguūt. Quidā cedri fructū torre

torrefactũ, & gallas toſtas in uinũ inijciunt, ipſumq́; durabile faciũt. Alij Thus poricum appellatum, uſtũ uino inijciunt. Alij cinerem ſarmentorũ uitis uino miſcent. Quidam uina quæ permutantur, in uaſa recens picata transfundunt, & in aliã domum transferunt. Si enim à caliditate læſa ſunt, in refrigerãtes locos deponunt. Si uero ab humiditate & frigiditate, in calidos & ſiccos locos transferunt. Alij fructum aut lignum quercinum urunt, & de cinere in uinum mittunt. Alij lac & mel miſcentes muſto indunt. Alij conchyliorum teſtas uſtas ac quàm leuiſsime tritas uino immittũt. Quidã nucleos oliuarũ cõbuſtos uino cocto, ſapa uidelicet, aut defruto uetere, odorato, extinguũt, deinde tuſos in uinũ diffundunt. Quidã durabile uinũ faciunt radices uitis in muſtũ inijciẽtes. Argilla etiã poſtquam deferbuerũt uina immiſsa, ipſa purgat, deferens ſecũ turbidum ad fecẽ, atq; id magis ſi fuerit toſta, & odorũ uinũ. Eſt enim dulcis. Quæ igitur in hyeme ex ipſa coalta ſunt, perdurant. Dulce enim facit muſtum argilla & diuturnum. Oleum ſtillatitium cum ſapa infuſum, durabiliſsima uina, & infirmiora potentiora facit. Veratrum nigrũ & album modice indita, uinum purgant, & durabile faciunt, & utentibus itidem proſunt. Cicer nigrum modice toſtum & molitum, uino ammixtum, diuturnum & urinam ciens ipſum facit. Sapa mixta uino, durabile ipſum facit. Cera in picatione ammixta, acerbius uinum reddit. Lini ſemen ſapæ aut muſto ammixtum, diuturnum uinum facit. Erui albi farina cohibet, & integrum continet uinum. Pix brutia, id eſt, quæ in fundo doliorum reperitur, cõtuſa, & per cribrum in uinum excuſſa, perdurãs uinum facit.

*facit.*Reſina *pinus,maxime autem terebinthina,uina con=tinet.*Alumen *ſciſſum adſtringit,& durabile facit, & aco rem eius ſedat.*

Conditura mirabilis durabilia uina faciens. CAP. XIII.

COnditura *panacea appellata.* Habeto *in promptu has ſpecies.aloes ſextantem,thuris ſextantem,amomi ſex=tantem,meliloti trientem,caſiæ unciam unam, ſpicæ nardi ſextantem,folij trientem,myrrhæ ſextantē.*Hæc *omnia lin=teolo illigata habeto , & in ſingula dolia poſt inditum in ipſa uinum,ubi iam deſederit,cochliarium unum mittito, & radice arundinis per triduum coagitato.* Quidam *uina hoc modo condiunt.*Croci *accipiunt ſcrupulos* III. Hic *autem uinum coloratum reddit , thuris maſculi cri=brati ſcrupulos* IIII.*hoc uinum auſterum facit.folij pilu=lam unam , hoc bonum odorem conciliat.* Singula *hæc contuſa & cribrata committito , & de rurſus cribratis in ſingulas amphoras cochliaria duo indito,poſtquam defer=buerit uinum & conſederit.* Illud *enim in omnibus uinis peculiariter obſeruandum eſt,ut iam ſedatis ipſis conditu=ram faciamus.*Alij *uina hoc modo cõdiunt.* Cardamomi, *iridis illyricæ,caſiæ,ſpicæ nardi,meliloti,xylobalſami,iun ci odorati* Alexandrini,*coſti, nardi celticæ,* Omnium *par pondus tundunt,cribrant, & in uinum mittunt.* Quidam *muſtum coquentes,& ad tertias redigentes uino ammi=ſcent.*Quidam *gypſum inijciunt.*

Vt uinum non peruertatur. Aphricani. CAP. XIIII.

IMpoßibile *eſt uinum in uappam peruerti, ſi in uaſe inſcrip*

inſcripſerit, aut in ipſis dolijs, hæc diuina uerba: Guſtate & uidete quòd bonus eſt Dominus. Recte feceris, ſi etiam malum his uerbis inſcriptum, in uinum immiſeris.

Significationes & prænotiones uinorũ peruertendorũ & durabilium. CAP. XV.

Condito in dolio uino, poſt tempus aliquod in aliud uas leniter euacuetur, ipſaq; fex in dolio relinquatur, ac diligẽter doliũ cooperiatur, deinde ſæpe animaduerſio habeatur, per olfactũ ſumpto experimento, an aliqua tranſmutatio circa fecem fiat, aut culices, aut eiuſmodi quid gignantur: quæ ſigna ſunt uinum corruptum iri. Si uero nihil tale circa fecem contingat, confidendũ etiã eſt uino. Quidam harundinem per directum foratam uſq; ad fundũ in fecem demittunt, & ſupernum harundinis foramen digito magno obturant, deinde ablato digito per foramen adtrahunt reſpirationem ab ipſa fece prodeuntem, imò & exugentes partẽ aliquam fecis adducunt, & iuxta fecis qualitatem, uinũ etiam futurũ coniectant. Quidam parum de uino ferueſaciunt, & refrigeratũ guſtant, & quale repererint ſapore, tale etiam de cætero uinũ fore confidunt. Verũ ex medio uaſe guſtum accipere oportet.

Alij ex operculis uaſorũ ſignificationes accipiũt. Detecto enim dolio humiditatẽ in operculis hærentem deguſtantes, tale etiã uinũ fore coniectant. Si nanq; uinoſus eſt ſapor, optimũ uinũ ſignificat. Aquoſo non tutò creditur. Quidã etiã ex ipſo uini ſapore experimentũ ſumũt. Si enim à principio auſterũ fuerit uinũ, ſecuritatẽ indicat. Si uero laxũ, contrariũ. Licet etiam uinum ab incũbente ac ſuperſtante flore probare. Si enim purpu-

rei coloris ſit flos, latuſq;, & mollis, ſecurius uinum eſt. Si uero glutinoſus fuerit flos, nō bonū ſignum eſt. Niger autem aut flauus flos in ſuperficie uini exiſtens, imbecille uinum facit. Albus uero diuturnum. Qui uero ad figuram telarū araneæ fuerit cōnexus, acorē ſtatim affore ſignificat. Rurſus ſi ſerpentē uiti implexū uindemiæ tempore uideris, uinū acidū expectabis. Si uero ſimul ut calcatur uinū, aut in dolia cōditur, craſſum & glutinoſum fuerit muſtum, quod ipſum tactu deprehēdes, durabilius uinū erit. Si tenue & infirmū, facile peruertetur. Vina porrò in muſto auſtera, durabiliora ſunt, & in poſterū iucūdiora. Quæ uero ab initio dulcia ſunt & tenera, non erūt diuturna. At uero uas uini quod peruertitur, ad tactū calidū apparet. Contra, diuturni uini uas frigidum eſt. Vinū ſi in aëre calidum in guſtu apparuerit, cito peruertetur. ſi frigidum, durabile erit. Si operculum dolij ſemper ſiccum reperitur, diuturniſſ. uinū promittit. Si humectum, peruerſionē portendit. Si uinū aceti mulſi odorē habeat, doliū eius cauſam eſſe ſcito, quare ipſum in aliud uas trāsfundes. Quidā ſic probant an diuturnū ſit uinum: manus in uinū mergūt, hisq; perfrigeratis ex odore iudicant. Vini enim quod peruertitur acidior olfactus apparet: quare exacte obturatū in aquā per triduum mittunt, poſteaq; extractum probant. Quidā ſuper harenam uinum fundunt & percolant, & ſi quidem non tranſmutabitur, probatiſſimum iudicāt. Solent uina peruerti, maxime in ſolſtitiorū mutationibus, & uite germen fundere inchoāte. Quare ſub ea tempora imprimis probare oportet. Alij uero ſic uini bonitatē experiuntur. Laminas longitudine

gitudine & latitudine digitorum trium ex plumbo, aut ſtanno, aut ære faciunt, easq́; puriſsimas operculo dolij cũ cera adglutinant, & opercula dolijs obdunt, ipſaq́; dolia poſt quadrageſimum diem aperiunt. Siquidem igitur uina repererint habentia florem, & odorem dulcem ac odoratum, & laminas omnes puras, ſanum eſſe uinum iudicant. Si uerò quid paſſurum erit, reperies laminam plumbi albeſcentem, & ſquamas habentem ad ſimilitudinem ceruſſæ. Si uerò ſtannea ſit lamina, & uinum peruertetur, inuenies ſudorẽ in ſtanno nigrum factum, ipſeq́; ſudor acidus erit. Si uerò ærea fuerit lamina, & uinum nihil patitur, reperies laminam purã & ſplendidã, quemadmodũ eſt impoſita. Si uerò permutabitur uinum, reperies laminã fœtidam & bullas habentem. Aliqui polentam ammiſcẽt, atque ubi deſederit, guſtant. Quidam Apij ſemen, & hordei furfures, & lauri folia, & uitis nigræ ſarmenta in efferueſcens & ebulliens uinum inijciunt, & refrigeratũ guſtant, atq; hoc modo de uino experimentum ſumunt.

Vinum inchoans aceſcere ut curetur.

Tarentini. CAP. XVI.

OLlam nouam aqua expletam & diligenter obturatam, infra in dolium immittito, deinde occluſo dolio, modica tamen reſpiratione relicta, uinum poſt triduum ſanatum reperies, aquam uerò fœtentem. Quare uſquequo perfectè conualeſcat uinum hoc facito. Alij de lacte caprino quinquageſimam uini partem adijciunt, & uinum per quinq; contegunt, poſtea uerò in aliud uas effundunt, rurſum ad quinque dies tegunt, & non permutatur in uappam.

Vt uinum per mare tranſuectum durabile maneat. Diophanis. CAP. XVII.

AMurcam per linteolum excolatam, & ad dimidias decoctam, cum melle Attico in fundum dolij infundito, antequam uinum infundatur. Hoc *enim modo ad plurimum tempus perdurat.*

Quomodo tractandæ ſint uites, ut uinum ex ipſis futurum dulce reddant. Didymi. CAP. XVIII.

IN *Bithynia quidam ſic uinum dulce faciunt. Triginta diebus ante uindemiam, ſarmentum ferens botros intorquent, omniaq́; folia auferunt, quo illabens ſol humorem conſumat, & uinum dulce faciat, quemadmodum nos per cocturam. Intorquent autem ſarmenta ob hanc cauſam, nimirum ut racemos ab humiditate & alimento ex uite auertant & abſtrahant, & non amplius humorem ab ipſa accipiant. Quidam poſtquam racemos folijs denudarunt, & uuæ iam corrugari incipiunt, eas collectas racematim ad ſolem exponunt, donec omnes quaſi uuæ paſſæ fuerint.* Poſtea *uerò ſub eodem ardore ſolis meridiano ſublatas in torcular transferunt, & reliquam diem ac inſequentem noctem totam ſinunt, & ſub diluculum calcant.*

Quomodo à muſto uinum dulce faciemus. Eiuſdem. CAP. XIX.

SI *dulce uelis facere calcatum iam ac expreſſum uinũ, poſtquàm in dolijs conditum fuerit muſtum, dolia per triduum deoperta relinquito, atq; ita deinde opercula obdito oſculis doliorum non ualde congruentia, ſed paululum ſuperpendentia, uirgis quibuſdam aut harundinibus*

in medio

in medio interpoſitis. Cæterum poſt quintum diem operçula exacte obdenda ſunt, cinere aqua ſubacto illita, paruis foraminibus relictis, quæ & ipſa poſt ſeptimum diem oblinantur. Si uerò dulcius adhuc uinum eſſe uelis, ad dies quinque dolia deoperta ſinito, & poſt quintum diem opercula addito, quemadmodum eſt prædictum.

Vt uinum odoratum & dulce fiat. CAP. XX.

BAccas myrti paucas maturas collectas ſiccato et tundito, & in cacabum Chœnicem appellatum indito, ſinitoq́; in dies decem, deinde aperito & utitor. Quotidie odorato uino uteris, ſi Aſiana mala aqua maceraueris, eiſq́; exemptis aquam uino affuderis. Erunt autem etiam mala ſapore iucunda. Oenanthe etiam præſertim ab arboreis uitibus, circa floris tempus accepta & iniecta, odorum uinum facit. Cera etiam in dolio ſuffita, bonum odorem conciliat. Oportet autem poſt ſuffumigationem inderc uinum. Folia item pini, & cupreſsi ad dolij labra affricta, & muſto ſimul commoto, odoratius uinum faciunt. Si uerò uinum Thymiamatis, aut mali, aut alicuius alterius materiæ habere uelis, unum aliquod ex relatis immitte ante infuſionem uini, & alligatum ſinito, donec incorruptū & odorem non peruertens maneat, deinde iniectum aufer, & uinum infunde, & operto poſtea utere. Sunt autem & hæc quæ odorem bonum efficiunt, Abrotonum, amygdalæ amaræ, argilla, aſari folia, aſpalathi radix, aſparagi flos, cedri ramenta, fœnigræci farina. Hæc partim textilibus uaſculis, partim linteolis illigata, ſuſpendere oportet ſublimia in uas quod uinum continet, ut ipſum non contingant. Vbi uerò odorem de ſe diſtribuerint, eximuntur,

omnia tamen prius quàm corrumpantur & alterentur.

Quomodo uinum album nigrum facias, & uiciſsim nigrum album.

Varronis. CAP. XXI.

SAlis ſordidi drach. VIII. in decẽ heminis uini nigri miſceto. idem continget, ſi ſerum lactis uino infuderis, & ſi quis uitis albæ ſarmenta uſſerit, cineremq́; in uas indiderit, & cõmoto probe uino ad dies quadraginta ſiuerit, uinum album erit. Contra uerò album reddetur nigrum: cinere ſarmentorum nigrorum in ipſum coniecto.

Vt uinum ſplendidum facias.

Frontonis. CAP. XXII.

CAndida ouorum trium in uas coniecta, ut ſpumeſcãt conturbato, adijcitoq́; ſalem album, & uini partem, atq; emollito donec quàm albiſſima euadant, deinde uino uas impleto, & in dolium ſic diffundito, ac reponito.

Quomodo uinum facias polyphoron, id eſt quod multam aquæ mixturã ferat, quo modicè inſumptum multis ſufficiat.

Paxami. CAP. XXIII.

ALtheæ radices areſactas in uinum deradito, & agitato ac conturbato utitor.

Vt uinũ nouũ uetus facias. Damagerõtis. C. XXIIII

AMygdalarum amararum, abſinthij, pini fructiferi comæ, fœni græci. Horum frictorum & contuſorum ſi cyathum in amphorã miſcueris, uina durabilia & quæ uetuſta appareãt, èfficies. Vetera uidebuntur etiã uina, ſi acceptis duobus dolijs uacuis de uino uetere, defractisq́; ipſorum auribus ac labris, fundi etiam extremis partibus, quæ uini

quæ uini participes nõ fuerunt, hæc quidem reieceris, reliquum uero unà cum uetere fece uini confractum, & cõbuſtum, tuſumq́; ac cribratũ apparaueris, iideq́; in unãquãq; amphorã ſemimodium inieceris, & uinum cõturbaueris, obturatũq; & oblitũ ad dies quindecim ſiueris, deinde aperueris & uteris. Iudicabis enim uinum eſſe decẽ annorum. Conſumpto autẽ uino, fecem in ollam nouã indito, eamq́; oblitam urito & cribrato, rurſusq́; eodẽ modo utitor. Pro omnibus enim aromatibus prædictis huiuſmodi uſus ſufficiet. Quidam uero ſic faciũt uina uetuſtatem referre. Meliloti unciã unã, glycyrrhizæ quadrantẽ, nardi celticæ tantundẽ, aloës hepatidis ſextantẽ, contuſa & colligata in unum inijciunt, atq; ſic eo utuntur.

Vt uinum florem non habeat. Sotionis.

CAP. XXV.

OEnanthen ſiccatam in uinum inſpergito, aut farinã erui uino ammiſceto. Vbi uero infra ſeceſſerint flos & farina, uinum in aliud uas transfundito.

Vt uini humiditas ſedetur. Apuleij.

CAP. XXVI.

GAri heminas quatuor affundito, & punicæ folia, & diſſoluent humiditatẽ. Cæterum graueolentiam emẽdabis hoc modo. Tedas pingues incenſas in doliũ immittes. Quidã uero uaſculũ aqua plenum ad fundũ dolij demergũt, & poſt tertium diẽ uinum quidem purum habẽt, aquam uero fœtentẽ. Alij teſtas ignitas inijciũt, alij panẽ hordeaceum in ſporta demittunt. alij apij ſemen & folia inijciunt. alij ſerum à caſeo recenti ammiſcent. alij ſalicis lignum indunt, omnemq́; prauitatem uini auferunt.

Vt uinum à quacunq; beſtia læſum cure= tur. Democriti. CAP. XXVII.

P*Anis calidus iniectus, aut annulus ferreus, omne ue= nenum tollit.*

Vt uina feculenta & turbida ſedentur. Anatolij. CAP. XXVIII.

A *Murcæ ad tertias decoctæ heminam, aliqui ſingu= lis metretis infundunt, & in integrum reſtituuntur eueſtigio ſedata.*

Vt uinum diſsipetur. Africani. CAP. XXIX.

B*Raßicæ ſuccum in uinum immitte, quem ex commã= ſa prius braßica exſuxeris.*

Vt quis à uini potu non oleat. Eiuſdem. CAP. XXX.

I*Ridem troglodyticen manducabis, ut uinum potatum non exhales.*

Vt multo uini potu quis non inebrietur. Eiuſdem. CAP. XXXI.

P*Vlmonem caprinũ aſſatum comede. Aut amygdalas amaras quinq; uel ſeptẽ ieiunus comede. Aut braßi= cam crudam prius ede, & non inebriaberis.* Potor *uini nõ inebriatur, ſi chamæpityos ramulis fuerit coronatus, aut ſi in primũ poculum,* Homeric*ũ hunc uerſum dixerit:*

Τοῖς δ' ἄρ' ἀπ' ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα ζεύς.

Hoc *eſt:* I*uppiter his alta ſonuit clementer ab* I*da.*

Quomodo ſedetur uini cupiditas. Demo= criti. CAP. XXXII.

H*Vmorem tenuem qui de ſarmentis poſt cæſuram de= fluit, colligito, & uinoſo ignoranti inter pocula bi= bendum*

bendum exhibeto, & uini deſiderium in ipſo ceſſabit ac extinguetur.

Vt ebrij rurſum ſobrij fiant. Berytij.

CAP. XXXIII.

SObrios reddit ebrioſos acetum aceruatim hauſtum, & braßica comeſta, & dulciaria ex melle ac placentæ. Inſuper & hiſtoriarum ueterum inquiſitiones & narrationes. Coronæ etiam ex uarijs floribus capiti impoſitæ.

Quod non ſolum uinum, ſed etiã alia quædam, ebrios faciant potantes.

CAP. XXXIIII.

EX potuum generibus inebriat primum quidem uinum: deinde, etiam ſi præter expectationem ſit id audire, aqua. Tertio potus qui è frumento & ordeo fiunt, quibus maxime utuntur Barbari. Quarto potio ex olyra & bromo, id eſt, auena parata. Inebriat autẽ & ex milio ac panico conflata. Facile porrò inebriantur ſenes & omnes perfrigerati. Mulieres autem minus inebriantur quàm uiri propter temperaturam, quanquam etiam ipſæ multitudine ebriæ fiant.

Quomodo citra uuam uinum fiat. Sotionis.

CAP. XXXV.

MYrti & corni recens fructus molitus & expreſſus uinum facit. Similiter uinum faciunt grana mali punici pura expreſſa, ablatis his quæ in medio granorũ exiſtunt. Quidam & à uiridibus ficubus uinum faciunt, explentes ipſis dimidiam uaſis partem, ac reliquam aqua pura ſuperfuſa complentes, aßiduéq; ex guſtu experi-

mentum ſumunt. Quum enim uinoſus apparuerit ſapor, excolato utuntur.

Conſtans ac certa compoſitio uini, quod ſanitatem uſq; ad ſenectam conſeruat.

Vindanionij. CAP. XXXVI.

IRidis optimæ drach. IIII. *ſeminis fœniculi tryblium unũ, farinæ tantundẽ, piperis drachm.* I. *myrrhæ* Tro*glodytidis drach.* II. *ſeſelis ſeſquidrach. mei ſeſquidrachmam, apij drach.* II. H*æc ubi contuderis, uini albi odorati quod ſatis fuerit affundes, et teres, in maſſasq; rediges, quas linteolo illigatas in uas mittes, infuſoq; uino optimo, & operculo addito, poſt diem quartum aperies, & calicem ieiunus bibes.* Hoc *uino ſi quis ſemper utatur, ſine morbis permanet. Cæterũ hanc compoſitionem per muſtum fieri præſtat.*

De uinis excolatis. Florentini.

CAP. XXXVII.

COlum in muriam per ſe, aut in aquam marinam potabili aqua ammixta, ad biduum immitte, & poſtea uino perrigato. Quum autem opus eo fuerit, ipſum exprimito, deinde labra eius amygdalis aut nucibus tritis oblinito. At uero uinis ipſis percolandis, alij aniſum, aut fuliginem, alij gypſum, aut defrutũ, aut mel, aut uini boni fæcem, aut erui farinam ammiſcent.

Conſtan

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA, LIBER VIII.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui octauus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet diuerſas uinorum confectiones, itemq; aliorum propomatum, & aceti omnigenas præparationes.*

Vinorum ſalubrium confectio. CAP. I.

V*Inorum ſalubrium conditura & confectio diuerſa uitia ſanat, & multi ex ueteribus eam per experientiam factam collaudant. Eſt autem compoſitio ipſorum ſimpliciſsima, nihil medicamentarium habens, ueluti ex roſis, aut anetho, abſinthio, pulegio, & huiuſmodi. Oportet autem unamquamq; relatarum ſpecierum contundere, & panniculo illigare, in uinumq; immittere, iuxta ſubiectum modum & rationem.*

Rhodites uinum. CAP. II.

R*Oſarum ſiccarum montanarum, & aniſi, & croci, & mellis partem, ſimul conligata in uinum inijcito.* Hoc *uinum & ſtomachicis & pleuriticis commodum eſt.*

Anethites uinum. CAP. III.

A*Nethi ſemen conligandum eſt in linteolum, deinde in uinum demittendum. Somnificum hoc uinum eſt,* Cit *urinam, & cibos concoquit.*

Aniſites uinum. CAP. IIII.

A*Niſi ſemen uino iniectum difficultatem eijciendi*

urinã

urinam ſedat,& uiſceribus commodum putatur.

Apites uinum. CAP. V.

P*Iris iniectis, quæ Græcis apiorum nomine ueniunt, uinum ipſum aluum adſtringit.*

Aſarites uinum. CAP VI.

H*Oc uinum urinam prolectat, hydropicos, ictericos, hepaticos, & iſchiadicos corroborat, & tertianarios, & rigores ſoluit.*

Glechonites uinum. CAP. VII.

P*Vlegium quod glechona Græci dicunt, in uino coquere oportet, donec tertia pars reliqua fiat. Hoc uinum ad ſerpentium ac reptilium uenenum auxiliare eſt. Commodat ad frigora hyberna.*

Daphnites uinum. CAP. VIII.

H*Oc uinum ex baccis lauri conſtans, calidiſſimum eſt, urinam cit, tuſſi, pectori, & torminibus auxiliatur. Senioribus prodeſt. Commodat aduerſus ſerpentes ac reptilia, & aurium dolores. Iuuat etiam mulieres, quibus uterus ſtrangulationem minatur.*

Marathrites uinum. CAP. IX.

V*Inum ex marathro ſiue fœniculo appetitum excitat, ſtomachum roborat, & urinam prolectat.*

Conyzites uinum. CAP. X.

H*Oc uinum ſtomacho commodum eſt. paralyticis ſtupentibus, tremulis ſtomachicis, nephriticis, torminoſis, & ad peſtilentes morbos idoneum.*

Petroſelinites uinum. CAP. XI.

H*Oc uinum ſtomachum roborat, ructus mouens, et appetentiã ad cibum excitans, urinam cit, & ſomnum*

ualde

ualde conciliat.

Peganites uinum. CAP. XII.

V*Inum ex ruta pegano Græcis dicta, calidum eſt, aduerſus uenenata medicamenta & reptilia auxiliare.*

Telites uinum. CAP XIII.

V*Inum ex fœno Græco, quæ telis Græcis appellatur, hepati commodum eſt, maximè ſi fœnum Græcum ſit contuſum.*

Hyſſopites uinum. CAP. XIIII.

H*Oc uinum pectus purgat, concoctionem facit, utpote calidum exiſtens, aluum mollit.*

Selinites uinum. CAP. XV.

A*Pij ſemen, ſelinon Græcè dictum, contuſum in uinũ mittito. Confert mictioni, appetitui, neruorumq́; ac præcordiorum doloribus.*

Vinum ex malis. CAP. XVI.

M*Ala cotonea odoratiſſima in dolio conijcito, & uinum ſuperfundito, deinde oblinito, & ad triduum ſinito, ac quarta die utitor.*

Vini purgatorij præparatio. CAP. XVII.

Q*Vum ſcrobes effodiuntur, ueratri nigri radices tundes, & circunpurgatis uitis radicibus, ueratrum circumlines, atq; ita plantabis.*

Vinum potens mulieri lac attrahere, & non permittens aliquam ægritudinem incidere. CAP. XVIII.

T*Hymum dum floret collectum & ſiccatum terito, deinde in dolium chœnices* IIII, *indito, & uini albi*

albi metreta affuſa, dolium ad dies quadraginta oblinito.

Vinum ad dyſenteriam & fluxum uentris. CAP. XIX.

M*Ala punica ſubcrudiora triginta confringito, ipſis'que in dolium coniectis, uini nigri auſteri congios tres ſuperfundito, & poſt trigeſimum diem utitor.*

Abſinthites uinum. CAP. XX.

A*Bſinthij maxime pontici drach.* VIII. *contunde, et linteolo non ualde denſo illigatas, in amphorã cõijce.* Q*uidam dimidium abſinthij indunt.* M*ulti etiam caſiam ammiſcent.* P*oſtquã igitur linteolum in amphoram inieceris, infunde muſtum ut expleatur, unica reſpiratione præbita, ut ne ſupereffcrucſcat.* E*odem modo quotcunque uolueris amphoras præparato & componito.* V*ſus huius uini eſt ad præcordiorum & hepatis dolores, & ad cruditates ſtomachi et dolorem, eijcit etiam animalia quæ in inteſtinis connutriuntur.*

Aminæi uini præparatio. Didymi. CAP. XXI.

A*Liqui uina aminæũ saporẽ referentia, in uas, in quo* I*talicum uinum fuit, infundentes, ſub dio defodiunt.* A*lij uerò amygdalarum amararum & folij, & defruti parum inijciunt.* A*lij aloës hepatitidis & cyperi.* A*ut aloës drach.* II. *amomi drach.* III. *coſti drach.* IIII. *folij drach.* IIII. *meliloti drach.* IX. *nardi* I*ndicæ drach.* II. *xylocinnamomi drach.* III. *in amphoras ſeptem.* Q*uidam etiam myrrhæ, caſiæ, croci, ſingulorum drach.* IIII. *addunt.* A*lij calamo pro myrrha utuntur.*

Vini

Vini Thaſij concinnatio. Florentini.

CAP. XXII.

VVas in uigore exiſtentes inſolamus, racematim compoſitas per dies quinq;. Sexta uerò in meridie ipſas calentes ſublatas, in muſtū & aquam marinā ad dimidias decoctam demergimus, indeq́; extractas in torcular noctē ac diem unam imponimus, & conculcatas in uaſa excipimus. Vbi autē efferbuerint & repurgatū fuerit muſtum, ſapæ uigeſimam quintam partem affundimus. poſt æquinoctium uero uernum, in uaſa mediocria defecamus.

Coi uini concinnatio. Berytij. CAP. XXIII.

ALiqui muſti partes III. *& aquæ marinæ partem unam ad tertias decoquunt. Alij ſalis drach.* XXI. *defruti congium, muſti congiū unum, ſpicæ celticæ drach.* XVI. *in uini albi metretas duas ammiſcent.*

De uino mulſo, ſiue œnomelite. CAP. XXIIII.

MEl Atticum in cacabum teſtaceum inditum, ad calidum cinerem ponito, quo ſpuma ſurſum feratur, & ubi iam calfactum eſt mel, ad ſextarium mellis, uini ſextar. IIII. *addito. atq; deinde ipſum uinum mulſum in probe picata uaſa condito, & coſti ſcrupulos* XII. *contuſos & linteolo illigatos, in uinum mulſum ſuſpēdito, additoq́; operculo in ſecundæ contignationis cœnaculo reponito. Quidā folij malabathri ſcrupulos* XII. *œnomeliti ammiſcēt, & poſt dies quindecim præter expectationem reperiunt. Inueterato autem nihil comparari meretur. Alij œnomeli ſic faciunt. Myrrhæ ſcrupulos* VI. *caſiæ ſcrupulos* XII. *coſti ſcrup.* XII. *nardi ſcrup.* IIII. *piperis ſcrupulos* IIII. *Mellis Attici ſextarios* VI. *Vini ſextarios.*

tarios XXIIII. *commiſcent & exponunt ad ſolem ſub caniculæ ortum ad dies* XL. *& hoc nectar uocant.*

Oenomeli ex muſto. CAP. XXV.

COllocato & deponito muſtum uſquequo conſtiterit & ſedatum fuerit ad dimidiam partem, & ad decem ſextarios mellis Attici ſextarium unum ammiſceto, & in dolium fundito, gypſoq́; oblinito, & in umbram deponito. At uero quod cognitum eſſe expedit, œnomeli de muſto flatuoſum eſt, & ſtomacho incongruum, uentri autem aptum.

Hydromeli compoſitio. CAP. XXVI.

MAla optima triginta duo, in tenuia fruſta per harundinem ſecato, & eiectis nucleis, ipſa in mellis ſextarios VIII. *mittito, in quo ubi menſes octo manſerint, aquæ pluuialis ueteris ſextarios* XII. *ammiſceto, & in caniculæ ardoribus inſolato, pluuia et rore uitatis. Alij melius faciẽtes hydromelum ſic præparant. Mala optima uigoroſa contundunt & exſuccant, indeq́; ſucci ſextarios* IIII. *& mellis optimi deſpumati ſextarios* VIII. *aquæ pluuialis ſextarios* XII. *miſcent, inſolant, & mediocriter coquunt ac utuntur. Alij duplici lebete coquũt, quo aqua magis quàm igne coctura fiat, quemadmodum apud Hiſpanos mos eſt.*

Hydromelitis, ſiue aquæ mulſæ præparatio. CAP. XXVII.

AQuam pluuialem ueterem, aut aliâs ad tertias decoctam accipito, & mellis quod ſatis eſt ammiſceto, & in uas coniecta in umbram ad dies decẽ deponito, foramine relicto ad perſpirationẽ, & ſic utitor. Inueteratũ melius

melius redditur. Hoc etiam Empirici medici in ægritudinibus utuntur, ſciētes quòd ex ſola aqua & melle ſit compoſitum. Alij niuem per ſe cum melle committunt, & trita reponunt. Hinc in æſtuoſis febribus medela petitur, & Chionomeli, hoc eſt nix mulſa appellatur.

Rhodomelitis concinnatio. CAP. XXVIII.

ROſas bonas, ſi fieri poteſt mōtanas, exungues terito, & in cochlea exprimito, & ſucci ſextar. II. cum mellis ſextar. I. cōmiſceto. Cæterum mel deſpumatū ad roſarū ſuccum addito, & in uaſe fortiter agitato cōturbato, Reponito in loco qui non habeat humiditatem.

Apiati compoſitio. CAP. XXIX.

SEminis apij ſcrupulos XII. quidam XVI. ſeminis rutæ aut foliorū uiridium eiuſdem ſcrupulos VI. mellis deſpumati ſextarium unum, uini ſextarios V. aut IIII. Hæc omnia permixta ad dies quindecim reponito.

Conditi præparatio. Democriti. CAP. XXX.

PIperis loti, ſiccati, & probe triti ſcrupulos VIII. Mellis Attici ſextarium unum, uini ueteris albi ſextarios V. aut IIII.

Sapæ optimæ concinnatio.
Leontij. CAP. XXXI.

MVſti optimi ſextarios VII. uini optimi ſextarios centum, ſi ad tertias decoxeris, & deſpumaueris, ſapam egregiam parabis.

Aceti uaria præparatio, & quomodo uinū facias acetū. Varronis. CAP. XXXII.

BEtæ radicem tuſam in uinum inde, & poſt horas tres acetum erit. Si uero in integrum reſtituere uelis,

braſsicæ radicem immitte.

Acetũ ut ſine uino fiat. Eiuſdẽ. CAP. XXXIII.

PErſica mollia ac delicata in dolium mittito, & ordeum toſtum ingerito, ac per diem computreſcere ſinito, deinde excolatis utitor. Similiter abſq; uino acetum facies hoc modo: ficus ueteres, & ordeum torrefactum, & citreorum interna, in dolium mittes, moucbisq; diligẽtius ac frequentius, & ubi computrefacta, & liquefacta fuerint, excolatis uteris. Amplius uero citra uinum ſic facies acetum. Gypſum & aquam marinã coques, indeq; aquæ fluuiali miſcebis, & excolatis uteris.

Acetum cõcoctioni & ſanitati commodum. Sotio. CAP. XXXIIII.

SCillæ drach. VIII. aceti ſextarios duos aut unum, in duas mittito, & pipere ac menta, caſiæq; ac iuniperi baccarum parte additis, poſt tempus utitor.

Aceti dulcis præparatio. CAP. XXXV.

ACeti acerrimi amphoram accipito, & muſti boni de calcatura tantundem addito, ſimulq; mixta pice oblinito, & repoſitis poſt diem trigeſimum utitor. Quidam acetum dulceſcens hoc modo faciunt. Muſti quod ex calcatura defluit metretam, ad duas aceti metretas addunt, ſimulq; coquunt, donec tertia pars decoquatur. Alij muſti metretas duas, aceti metretam, aquæ coctæ potabilis metretas tres ſimul coquunt, donec tertia pars de toto decoquatur, remaneantq; ſuperſtites partes duæ.

Aceti acris cõcinnatio. Eiuſdẽ. CAP. XXXVI.

VInacea uuæ ad biduum ſiccato, & in muſtum conijcito, adiectis paucis uuis acerbis, & facies acetum acre,

acre, quo poſt ſeptimum diem uteris. Aut pyrethrum immitte & acre euadet. Porrò ſi quartam aut quintam partem aceti ad ignem ferueſceris, & ad reliquum addideris, expoſuerisq; per dies VIII. in ſolem, acerrimum & iucundum acetum habebis. Graminis radices uetuſtæ, & uuæ paſſæ, & piri ſylueſtris folia contuſa, & rubi radix, & lactis ſerum, & glandis uſtæ prunæ ignitæ, & cicerum decoctum, & teſtæ ignitæ, ſingula ex his in acetum coniecta, ipſum acre faciunt.

Vt acetum acre permaneat. Apuleij.

CAP. XXXVII.

FAbas cum citreo acido permixtas, in uas acetum habens mittito.

Vt acetum piperatum fiat. CAP. XXXVIII.

PIper integrum in linteolum inde, & ad dies octo in acetum ſuſpende, atque ita utere.

Probatio aceti an aquā habeat. CAP. XXXIX.

NItrum in acetum mittito, & ſi uelut efferueſcēs intumuerit, aquam ipſum habere iudicato.

Vt acetum duplicetur. CAP. XL.

ACeti conſpicuam menſurā accipito, uelut uerbi gratia, metretam, & ad ipſam aquæ marinæ ad dimidia coctæ metretam unam adijce, & permixta in uaſe repone. Quidam ordeum macerant & percolant, & ex cremore metretam ammiſcent, & ſimul coagitant, & ſalis torrefacti adhuc calentis partem ſufficientem ſuperingerunt, quo facto uaſi operculum obdunt, ipſumq; ad dies octo relinquunt. Aliqui uero ex ficubus, quæ in arbori-

bus commadefactæ, in aquam conijciunt, computreſcereq́; ſinentes, acetum efficiunt.

Quomodo acetum ſcilliticum facias. Democriti. CAP. XLI.

ACeti optimi & acerrimi ſextarios triginta ſex in dolium fundito; & ſcillæ albæ cruſtula interna in tenuiſsimas partes conciſa, & in ſole ad dies triginta aſsiccata in aceto ad diem duodecimum macerato, deinde ablato & repoſito aceto ubi uoles utitor. Acetum enim ſcilliticum non minorem commoditatem, quàm uinum ſcilliticum de ſe præbebit.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. IX.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui nonus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet omnem ex ordine deſcriptionem de plãtatione & cura olearum, & præparatione olei omphacini, & de omni alia diligentia ac ſtudio circa oleum habendo, & de uarijs compoſitionibus oleorum.*

Hiſtoria de oleis. CAP. I.

OLeam hoc modo productam eſſe ferunt. Quum terra tota ab initio aqua cooperta eſſet, primæ quæ omnium Athenæ apparerent, Minerua & Neptunus loci amore capti contenderunt inter ſe utrius nomine ciuitas iſthic cõderetur. Iupiter autem litem inter ipſos dirimere geſtiens,

geſtiens, præconio edicere iuſsit: Quòd uter ipſorũ optimam poſſeſsionem urbi præberet, ille ipſe hanc obtineret. Neptunus igitur portibus et naualibus ipſam exornabat. Minerua autem oleam in arce produxit floridam & fructuoſam, & ex hac coronata, & ab omnibus conſpecta, uicit, & de nomine ipſius urbem Athenas nominarũt. Minerua enim Græcis Athena appellatur. uictus itaq; Neptunus ad conſueta munia ſeceſsit. Verum ab hac uictoria, etiam certaminũ uictores ex oleaſtro facta corona coronant certaminum arbitri & inſpectores. Cæterum opem quandoq; ſenſerũt, & à capitis dolore naturaliter liberati ſunt, qui oleæ folio Mineruæ nomen, Athena, inſcripſerunt, ipſumq; foliũ cum filo circũ caput obligarũt.

De plantatione & cura olearum, & quod maximum bonum eſt circa hęc ſtudium. Florentini. CAP. II.

QVum prouẽtus qui ex olea accedit maxime neceſſarius ſit, nullus enim alius prouentus in tam magnum tẽpus cõſeruatur, oportet eos qui rei ruſticæ ſtudio tenẽtur, plurimum circa oleam prouidentiæ ac diligentiæ adhibere. Non ſolũ enim ſecuros ac firmos redditus habet ipſe ex olea prouentus, ſed & maximũ bonũ eſt ad omnẽ uitæ curam ac medelam ipſe oleæ fructus. Prænũtiant autem ſolſtitium oleæ folia inuerſa, quemadmodũ etiam tilia, & ulmus, & populus alba. Fertilem autẽ oleã iudica, ſi non in obliquo & à lateribus, ſed & in ſummo ramo fructũ geſtat. At uero quum pura ſit olea, puros etiã eſſe uult ſuos collectores, et iurare quòd à ſola propria uxore ueniãt, et nõ ab alieno cubili. Sic enim & in ſequẽti tẽpo-

re plurimum fructum exhibebit. Ferunt ſanè in Anazarbo Ciliciæ pueros caſtos oleam colere, & propterea oleam apud ipſos fertiliſsimam ac fructuoſiſsimam eſſe.

De aëre oleis commodo, & de terræ figuris. Eiuſdem. CAP. III.

AEr calidus & ſiccus oleæ commodus eſt, quod ipſum in Libya & Cilicia uidere eſt, & prouenie̅tibus in ipſis oleis. Auxilia̅tur aute̅ ad aëris co̅moditate̅, etia̅ terræ figuræ accliues & altæ. In talibus enim propterea quòd ſuperexcelle̅s ſolis ardor à uentis perfrigeratur, optimum oleu̅ prouenit, & eiuſmodi quale omphacinum & omotribes appellatu̅ præparatur. Quæ uero in campeſtribus ſunt oleæ, & minus à ue̅tis moue̅tur, & uehemె̅tius à ſole incu̅bente aduruntur, atq; propterea craſſum oleu̅ remittunt. In uniuerſum aute̅ obſerua̅dum quòd uenti no̅ plantas modo, ſed omnia uiuificant, quemadmodum uehementes & impetuoſi uenti omnibus ſunt contrarij. In totum uero plantis quidem maxime omnibus præcipue uero oleæ conferunt. Virides igitur potiſsimum illas olearum plantas reperies, ad quas uenti flatus ingreditur, latis ſpatijs in medio plantarum relictis per quæ uentus libere inſpirare poteſt. Ob id enim & ardua & accliuia loca oleæ ualde commoda eſſe diximus, quòd uidelicet ſemper uentum tepidum ſuſcipiunt, ut nihil præterſpirare poſsit, ſed æqualiter per ſingulas arbores penetrare, ipſiusq; plantæ augmentu̅ excitare ac connutrire.

De tempore plantationis olearum, & in qualem terram ſint plantandæ. Eiuſdem. CAP. IIII.

Oleæ

OLeæ plantandæ ſunt à ſucularum occaſu uſq; ad ſolſtitium hybernū, hoc eſt à decimaquinta menſis nouembris uſq; ad octauā menſis decembris. Plantandæ ſunt & in uere oleæ. Imitantur enim ſe mutuo hæc duo tempora, humidum habētia & calidum. Autumnus tamen calidam adhuc terram habet à ſole, humiditatem autem ab autumnalibus pluuijs. Ver uero humiditatē quidem habet à pluuijs prægreßis, aßumit autem caliditatē, à ſolari acceßione. Et humidior ſanè terra floridiores & pinguiores oleas producit, ob quam cauſam hæc terra præſtrēda eſt. Secundum autem locum habet argilla alba. Tertium argilla dura. At uero profundā terram nō laudamus, neq; item rubrā. Calida enim exiſtens plantas comburit. Multo uero magis fugienda eſt defoſſa. Fructum enim macrū fert, & germen aquoſum. Aptißima autem eſt oleis terra tenuis, cui teſtimonium Attica præbet.

De plantario. Didymi. CAP. V.

COmpendioſior quidem eſt prædictarum plantarum depoſitio in ſua ipſarū terra, citra cunctationē quæ ex mora in plantarijs contingit. Quando uero ea quæ ex plantarijs transferūtur, ſecuriorē generationē habent & uiuificationem, etiam plantariorum modum indicabimus. Oportet igitur uelut ſæpe iam diximus, plantariū penitus æquale eſſe terræ in quam tranſplantatio futura eſt, non qualitate ſolum & figura, ſed etiam aëris conſtitutione, ut ne cōſternetur ob nouitatem planta in ipſo pangenda. Accipiendi autem ſunt in plantaria à nouis & fertilibus oleis ramuli mediocris craßitudinis, non ex trunco enati, ſed ſuperne ex brachijs & nouis ramis. Menſura autē ſit

cubitalis, ut ne lancinctur à cæſura cortex. Hoc *enim uel maxime diligenter cauere oportet. Ipſa autẽ ſectura falce acuta undiquaq; leuigetur, plãta integra & incolumi ſer= uata. Infernæ uero ramuli partes illinãtur ſtercore bubu= lo cinere ammixto. Depangemus autẽ ipſum in terram ut quatuor digitorũ altitudine ſuperemineat, deindeq́; ſcro= bem ſic ut prædictũ eſt cauabimus ad commodã imbrium ſuſceptionẽ. Oportet autem uelut iam prædiximus, in pri mis uitare ne ſecundũ uerticem hoc eſt inuerſus ramus pan gatur. Depangamus autem iuxta ipſum harundinem, quo foſſores ſignũ habeãt cognoſcendæ plantæ. Cæterũ plan= tas quæ in plantarijs poſitæ ſunt ſingulis mẽſibus mouere oportet uſq; ad ſeptimum menſem. Trium igitur annorũ ſpatio plantæ probe connutriri poſſunt, quarto anno & ſuperflui rami amputandi ſunt & ſic plantæ transferẽdæ in terram quam complantare inſtituiſti, ſimul ſublata cum plantis propria & connutrita terra. Et ſanè præſtantior eſt plantandi oleas per ramos, modus. Quidam uero ligna ut deſecta ſunt ab infimis radicibus & apud Syros Gor= phia appellãtur, in plãtarijs deponentes, quum ad tranſ= lationem apta uiderint tranſplantant. Multi non in plan tarijs, ſed in propria terra depangentes ipſa, non aberra= uerunt. Melius tamen eſt talia maxime in plantarijs depo nere. In his enim aßidue rigantur, & celerem habent ger minationem, atq; ita etiam facilem tranſpoſitionem.*

De ſcrobibus plantandarum olearum.

Eiuſdem. CAP. VI.

Q*Vum plantatio fit olearum, locos purgare opor= tet, in quibus earum plantationem inſtituimus, & quicq*

quicquid eſt alterius generis eximere, & murum aut ſepem circundare. Quædam tamen maxime ante plantationem, ſcrobes ſibi effodi poſtulant, quo à ſole, & uentis, & imbribus, terra friabilior reddatur, & plantæ radicem agere facilius queant. Si uero plantare feſtinemus, duobus menſibus antea aut minimum uno, ſarmenta & harundinem & quæ facile comburuntur, in ſcrobibus ad multos dies exuremus. Oportet autem ſcrobium altitudinem eſſe cubitorum trium, aut non minus quàm duorũ & dimidij. Diſtẽt inter ſe ſcrobes ſpatio cubitorũ quinquaginta, quo trunci perflari poßint, & intermedius locus conſeminari. Quidam contempta ſatione, denſam plantationẽ faciũt, ut tamen ſibi plantæ mutua umbra non obducant tenebras.

Quales oportet eſſe olearum plantas, quas plantaturi ſumus. Eiuſdem. CAP. VII.

OPortet olearum plantas, à commodis locis, & arboribus nouellis, quæ ſingulis annis fructum ferunt, craßitudinem habentes rami, aut craßiores, leuesq; ac rectas eſſe.

Quomodo olea fertilis fiat. Africani. CAP. VIII.

TRuncum terebra per totum terebrato, & acceptis ab altera fructuoſa olea duobus ramulis, principia ramulorum ex utraq; parte immitte, ac transfige, & apprehẽſos utroſq; ramulos manibus fortiter attrahe. quum autem optime fuerint adacti & quaſi incuneati, redundantia ex utraque parte reſeca, & luto paleato cauernas utrinq; obline, & fiet olea multũ fructuoſa & quæ optimam producet oliuam, oleumq; præcellens.

De perfectarum olearum cura. Sotionis. CAP. IX.

DE plantatione quidem igitur olearum, & plantandi arte, abunde docuimus. Conſequens autem eſt ut de perfectarum plantarum cura dicamus. Culturam igitur hoc eſt paſtinationem id eſt circunfoßionem, eodem tempore facito, quod nouellis plantis deſignaui. Cæterum foſſionis profunditatem, & ſtercoris circuniectionem ac multitudinem, & aggeſtionis altitudinem, iuxta truncos, & magnitudines, & terræ ac arborum naturam facere oportet. Quæ enim germen amplius eluxurians habent, & loci humecti, pauciore ſtercore indigent, & per ſpatium plurium annorum, aggeſtione autem terræ utendum eſt, ut ne à ſole exurantur. At uero purgationes prædictarum perfectarum olearum, uelut etiam reliquarum arborum, autumno facies, poſt pleiadum occaſum. Per id enim tempus arbores ſolidiores & fortiores eſſe uidentur. Primum enim medius humor ipſarum in germina & fructus alimentum inſumptus eſt. Deinde quantum reliqui fuit humoris per æſtatis calorem reſiccatum eſt. Tertio uero hybernos imbres nondum ſuſceperũt, & horum omnium gratia contingit præfatum autumni tempus maxime maturum eſſe, ad purgandas arbores, tunc robuſtißimas exiſtentes, & præſertim oleam. Oportet autem eum qui purgaturus eſt prius ſtercorare, ut aduerſus nocumentum ſiue offenſionem potius ex cæſura, ſtercoris utilitas opponatur. Perpurgati enim trunci ac rami, in præſens quidem dolent, propter ſecturas, ſtercorati uero cito opem ſentiunt & germinãtiores fiunt. Depurgare autem oportet

tet arida, & quæ in medio ſunt, quo reſpirationem habeant, ſed & incumbentes ſibi inuicem ramos auferre oportet, & raritati proſpicere. Incurui etiam rami recidantur præſertim ſuperflue longi, & qui in altitudinem ualde excreſcunt ſteriliores natura exiſtentes. Ob id enim apud omnes agricolas receptũ eſt, oleas decem cubitorum magnitudinẽ excedere nõ debere, & augmentum ſupra prædictũ modũ detrimento obnoxiũ eſſe. Nimirũ quum rami per uentorũ uehementiã cõfringãtur, & flos excutiatur, & ante tempus dilabatur. Quapropter etiã multi ramos ipſos implãtatarũ ad humũ detrahunt, humiliorem & depreßiorem arborẽ fieri cogentes. Et ſufficiẽter quidem de perfectarum olearum purgatione diximus, quam per tres aut quatuor annos facere oportet. Qui uero adnaſcuntur truncis rami ſtatim dum adhuc teneri ſunt, ſingulis annis auferendi ſunt, ne in ipſos truncus elaboret.

Quomodo oleam florẽtem & multum fructuoſam faciamus, & quomodo ægrotantes curemus. Quintiliorum. CAP. X.

GEneroſiores & florentiores & ualde fructuoſas oleas facies ſi poſt circunfoßionem, amurcæ oliuarũ inſulſarum cum aqua potabili permixtæ æqualiter, duas heminas, ad radices ſingulorũ truncorũ affuderis, aut palearũ fabacearũ cophinum unum aut duo iuxta proportionẽ uidelicet arboris. Aut terræ argilloſæ ſtercore bubulo permixtæ, aut algæ tantundẽ. Neq; uero minus prodeſt urina hominis trunco affuſa. Poſt hæc uero ſtatim terræ aggeſtionẽ facere oportet, ita ut à radicibus in altitudinẽ duorũ palmorũ circũaggeretur, & agger in circuitu ca-

uetur

uetur, ad pluuiarum aquarum ſuſceptionẽ. Hæc *cura adhibenda eſt in caniculæ ardoribus. præſtabilius eſt etiam rigatione tũc uti, præſertim ſi ſquallores exiſtãt.* At *uero arbores fructũ nõ ferentes ſic fructum multũ ferre facies.* A\` *trunci ima parte ferè ad cubiti menſuram abſiſtito, & per terebrũ truncum iuxta auſtralẽ partẽ perforato, foramine facto digiti magni magnitudine per totũ truncum. & acceptis duobus oleæ ramulis ab altera arbore ſemper multũ fructum ferente, foramina ipſa utrinq; per illos ramulos expleto, ut uterq; tranſigatur, & apprehẽſos manibus fortiter protrahito, ubi autẽ probe adacti & incuneati fuerint, præminẽtias ex utriſq; reſecato, & luto paleato foramina oblinito.* Q*uales ſanè oliuas fore expetis, tales etiã ramos uelut prædictũ eſt, immittito.* Sic *enim & oleũ protulerit melius olea ipſa, prout plantæ præcellens oleum ferentis ramuli fuerint immiſſi ac tranſacti.* C*æterum ramuli ab auſtralibus arboris partibus accipiendi ſunt.* Porrò *oleas in materiæ multæ effuſionẽ eluxuriantes & uelut inſaniẽtes, hoc eſt folia quidẽ ferentes multa, fructum uero modicũ, ſic curabis.* Paxillum *nimirum oleæ ſylueſtris, aut pinus, aut quercus, in radices adiges, aut etiã lapidẽ impones.* Eis *uero quæ multũ fructum ferunt, nõ autẽ maturũ faciunt, & florẽ male perdũt, ſic medeberis.* Circũfodito *truncum et maioris algæ corbes duos, minoris minus circũijce.* Deinde *amurcæ aqua potabili permixtæ quatuor congios ſingulis truncis affunde. quòd ſi alga haberi nequeat, ſola amurca utere.* At *uero curam contra inſiſtantes beſtias, & læſionem ex ambiente accedẽtẽ, in tractatu de uitibus uniuerſaliter docuimus.* Si *igitur*

tur areſcentes radices & ægrotantes repereris, uermiculos in fundo generatos cauſam iudicabis, quos multis quidem modis diſperdes, quemadmodum prædictum eſt, præcipue uero ſcillis iuxta plantatis.

Quòd iuxta multos & diuerſos modos olea plantatur. Leontij. CAP. XI.

TAndem noſſe etiam oportet, quòd id quod plantatur aliquando quidem in terram occulitur, aliquando uero pars terra operitur, pars terram ſupereminet. Quæ quidem igitur tota occuluntur, nulla notatione indigent in electionibus. Quæ uero terram ſupereminent, plantare oportet uelut prius in trunco ſitum habuerunt, ad orientem, aut ad meridiem, aut ad occaſum, ut ne aëris nouitate conſternentur. Quæ autem in ſiccitatibus plantantur, ſi poßibile eſt id facere, bis aut ter rigentur. Immittantur etiam in ſcrobes ex utraque plantæ parte, duo ligna leuia & recta, aut harundines, aut ſarmenta colliga, ut ſcrobes ſupereminеant, & poſtquàm conculcata eſt planta, hæc quidem operiantur, uacui uero loci lapidibus tenuibus aut teſtaceis expleantur, & maiuſculo lapide contegantur, quo aqua à pluuijs delapſa ad radices progrediatur. Oportet autem plantas ſtatim ut ablatæ ſunt plantare in humida die. Multis porrò modis olea plantatur. Quidam enim à ſcytalis plantant, acceptis enim ramis craßioribus, & his in magnitudinem cubitalem conſectis ita plantant. Quidam à taleis plantant hoc modo. Ramos craßiores in magnitudinem cubitorum duorum conſecant, & in fundum ſcrobis lapidem latiorem immittunt, deinde plantam ſuper

per ipſo rectam ſtatuunt, ac terra odobruunt. Alij gene-roſiſſimas propagines unà cum trunco plantant. Alij plã-tas quas accepturi ſunt in ipſo adhuc trunco exiſtentes falce circumpurgant, & circa arcturi ortum in ſcrobes imponunt. Alij tropea appellata plantant hoc modo. Ru brica notant ſitum ad orientem & meridiem, & de trun-co reſecant ad longitudinem cubitorũ quatuor ſiue quin-que, & in ſcrobes immittunt, aliam omnem diligentiam adhibentes. Hic modus plantationis citius uiuificat, & ci-tius fructum producit. Quidã à truncis plantant ſic. Con cidunt truncos ipſos in ſtipites maiuſculos, eosq́; ſcrobi imponunt corticem ſurſum uerſus habentes, & aggeſta terra ſtercore mixto ad palmi altitudinẽ ſinunt. Quidam ex partibus trunci in terra, ſegmenta quatuor palmo-rum magnitudine unà cum cortice exſcindunt, & lapidẽ in fundum ſcrobis permittunt, & circum hunc tria aut quatuor ſegmenta ponunt, et ad palmi altitudinẽ obruũt. Quocunque autem plantionis modo ipſa plantatio fiat, cum ſerra quæ plantanda ſunt ſecentur, obſeruandumq́; eſt diligenter & cauendum ne cortex dilanietur. acuta etiam falce cæſura leuiter, cortice illæſo & incolumi con ſeruato. ſtercore quoq; bubulo ammixto cinere infernam rami partem illinemus. Et imprimis uitandum eſt ne ſe-cundum uerticẽ inuerſus ramus pangatur. Torquebimus enim plantam ſi ſecundum uerticem plantauerimus. Opor tet autem & ſtercus in ſcrobes inijcere.

Vt oleæ fructus nõ defluat. Democriti. CAP. XII.

Oleæ fructus non defluet, ſi fabam quæ pedunculum habet, acceperis, cauernamq́; cera occluſeris, deinde

accepta

accepta à radice gleba, fabam in eam indideris, & ſic terra operueris.

De putatione olearum. Varronis. CAP. XIII.

Oleam poſt ablatum fructum putare conuenit, neque putandum eſt ablatis manifeſtis & conſpicuæ magnitudinis ramis pauciorē fieri fructū. Multo enim copioſiorē fructum ex recentium ramulorum ubertate feres.

De olea quam elæoſtaphylon Græci uocant. Eiuſdem. CAP. XIIII.

Operæpretium eſt non relinquere conſenſum oleæ ad uitem, de quo Florentinus undecimo georgicorum libro tradit, Ait enim quòd ſi quis oleum in uitem inſerat, non ſolum botros uuarum, ſed & oliuas prouenire. Talem arborem ſe uidiſſe apud Marium Maximum perhibet, guſtaſſeq́; fructum, & exiſtimaſſe quòd acinum uuæ & olei baccam ſimul guſtaret. Fieri autem tales plantas in Libya prodit, uocariq́; patria ipſorum uoce ubolima. Palos igitur ſupponere oportet, qui oleæ grauitatem portare poßint. Si uero aliquo alio modo inſeremus, palis non erit opus. Etenim uite iuxta ipſam terram perforata, oleæ ramum indimus, quo & dulcedinem ex uite adipiſcatur, & naturalem ex terra qualitatem & alimoniam ſuſcipiat. Poſtea autem minore moleſtia fructum ex ipſa capiemus, ubi uitem amplius non onerat ſuo pondere, ſi uidelicet acceptum ex ipſa ramum tranſplātabimus. Seruabit enim & per ſe mixturam ubi fuerit irradicata. Appellatur autē fructus eius Græcis elæoſtaphylos, quem Latine oleuuam dicere poßis.

De ſtercore oleæ cōmodo. Didymi. CAP. XV.

Omne

OMne ſtercus oleæ aptum eſt, præter humanũ. Conuenit autem non ad radices inijcere ipſum ſtercus, ſed paulo longius à trunco. Stercoratio autem oleæ quarto aut quinto quoq; anno fiat. Neq; uero obliuiſci plãtator debet, ut quocũq; tandem oleã modo plantet, ſtercus ſcrobibus immittat, ipſumq́; cum terra probe permiſceat.

De inſitione olearũ. Florentini. CAP. XVI.

EX oleis aliæ quidem tenui cortice præditæ ſunt, aliæ uero craſſo. Quæ igitur craſſum librum & humidum habent, iuxta corticem inſerantur. Quæ uero tenuem & aridũ corticem habent, in ipſum lignum. Tempus autem inſitionis huiuſmodi eſt, à decimo Calendarum Iunij, hoc eſt à uigeſima ſecunda die menſis Maij, uſque ad Iunias calendas. Oleæ porrò inſitæ multoties aqua rigandæ ſunt, quippe quæ aridæ exiſtentes rigari deſiderant. Quidam etiam in ipſas radices ex terra prominentes inſitionem faciunt.

Quomodo & quando uindemiare, atq; oleas legere oportet. Paxami. CAP. XVII.

TEmpus ad olei communis confectionem accommodatum eſt, quando maior pars dimidij fructus appàruerit nigreſcens. Accelerare autem collectionem conuenit antequàm glacies congeletur. Facilius enim & copioſiores fœtus exhibebunt. Collectio ipſa fructus facienda eſt ſereno tempore, & minime pluuioſo. Nam humectum germen imbecillius fit & facile frangitur, ob quam cauſam neq; minutis imbriũ guttis delabẽtibus, ramos mouere oportet, neq; fructũ auferre, priuſquàm omnis humiditas à plantis ſit diſcuſſa. Si uero lutoſum ſit ſolum, ſtramenta

menta aut ſtorias, aut tale quicquam ſubſternito. Si uero nihil eiuſmodi adſit, oliuas aqua calida lauare conuenit, ſupra purificationem enim & fructum ampliorem reperiemus. Quapropter etiam ſi non inquinentur luto, ſi fieri id poteſt, lauandæ ſunt ex calida aqua. Quidam recte faciunt qui ſolum manibus ramos quatiunt, ut fructus excutiatur. Virgam autem oleæ non admouent, quoniam in poſterum minus fructuoſa inde euadit. Sed & ipſe fructus uiolenter delapſus ſauciatur, aut ad lapides, aut ad duras glebas offendens, & terræ qualitate contracta, ipſum oleum terreũ faciet. Triangularia igitur ſcabella præparare oportet, & latam tabulam ſuperne imponere, ut in ipſa ſtantes oliuas decerpant.

Quomodo citra oliuas oleum fieri poſsit. Damegeront. CAP. XVIII.

SI terebinthi fructus in mola quemadmodum oliua molatur, & exprimatur, oleum remittit. Ipſi autem nuclei in porcorum cibum ueniunt, atq; igni etiam alimẽtum ſufficiunt. Reddit etiam oleum ſeſamus, & nux, corticibus uidelicet ademptis. Manifeſtum eſt autem quòd & ea ipſa exprimere oporteat.

De olei omphacini præparatione. Apuleij. CAP. XIX.

EX ipſo utique nomine ſatis cognobile eſt, quòd oliuæ acerbæ omphaces Græcis appellatæ, omphacinum oleum faciunt. Quum igitur oliuas præ maturitate nigreſcere inchoantes uideris, miniſtros aut operarios ad eas colligendas ex arbore per manus mittes, animaduerſione habita ne quid ex ipſis in terrã cadat. Auferendum enim eſt

m quoti

quotidie tantum quantum ſequenti noctę ac die confi cere poßibile eſt: decerptas autem in uiminea crate expandito, quo & aquoſitas ex ipſis reſiccetur, & ne ex mutua cali- ditate noxa aliqua accedat. Eligenda *ſunt etiam folia & uirgulta ipſis ammiſta.* Hæc *enim ſi ammiſta maneant, olei diuturnitati contraria exiſtunt.* Deinde *à ueſpera acceptas oliuas ſale conſpergito, & molæ puræ inijcito, atq; per ma num leniter molito, ut ne nuclei oliuarum conterantur.* Et *enim ſuccus ex nucleis expreſſus oleum corrumpit.* Quare *rotam leuiter circunducere oportet, quo caro & cutis tan- tum oliuæ confringantur.* Poſt *molituram uero paruis pel- uibus id quod molitum eſt in torcular trāſportato, & naſ- ſas ex ſalice textas immittito.* Multum *enim ad pulchritu- dinem olei ſalix ipſa confert, deinde pondus leue & non uiolentum ſuperponito.* Quod *enim ex leui compreßione profluit iucundißimū & tenuißimum exiſtit: quare in ua- ſa pura transfuſum peculiariter adſeruabis, relictasq; & ſubiacentes oliuas rurſus uiolētiore paulò pōdere admoto exprimes, atq; hoc ipſum rurſus priuatim recōdes.* Etenim *à primo paululū deficiet, & eo quod deinde ſequetur præ ſtantius exiſtit.* Vtriſq; *autē ſtatim ut trāsfuſa ſunt, parum ſalis & nitri adijciatur, & per oleaginceū lignum cōmotio fiat, quo facto quies permittatur donec conſtiterint, & re- peries quod aquoſum eſt in eo ſubſidens, hoc eſt ipſam amurcam: quod uero pinguißimum eſt ſuperne innatabit, quod etiā demere cōuenit citra amurcā, & in uas uitreum immittere.* Optime *enim oleum in uitro ſeruatur, utpote quod natura frigidum exiſtit.* Nam *olei natura frigidita- te gaudet.* Quòd *ſi uitrea uaſa non habeas, in noua fictilia*

intrin

intrinſecus gypſo tincta condes, depones'que ipſa ad ſeptentrionem locis ſiccis. Siccum namque & frigidum locum oleo gratiſsimum eſſe conſtat, quum caliditas & humiditas oleo contraria exiſtant.

Olei odorati concinnatio. Diophanis. CA. XX.

MVſti ſextarios VIII. & olei ſextarios II. & iridis contuſæ notabilem partem colligatam, in dolium ad dies decem deponito, & poſtea excolato oleo utitor. Vinum uero mulieribus in potu commodum exiſtit.

Quomodo oleum purum facias. Tarentini. CAP. XXI.

SAlem ad ignem torrebis, & dum adhuc calet in oleum demittes. Idem facit nux pinea integra uſta, & adhuc feruens immiſſa. Item citri radix iniecta, & fex olei torrefacta.

Vt oleum rancidum cures. Eiuſdem. CAP. XXII.

CEram albam cum oleo bono coques, & ut eſt liquidam infundes, & ſalem toſtum feruentem adhuc immittes. Scire porrò conuenit quòd omne oleum purificat aut ignis, aut Sol, aut feruida aqua, ſi uas in ipſam imponatur æreum, aut aliud quod non frangatur. Medebitur oleo rancido & aniſum immiſſum. Si uero anticiparis aniſum inijciendo, non rauceſcet.

Vt fœtido oleo medearis. Eiuſdem. CAP. XXIII.

OLiuas uirides reiectis nucleis contuſas in uas olei mittes, calido exiſtente Sole. Si uero non ſint oliuæ, teneris oleæ ramulis contuſis idem facies. Quidam utrunque immittunt linteolo nimirũ illigatum, & ſale tuſo

ammixto. Cæterum poſt triduum linteolum eximendũ eſt, & oleũ agitandum & conturbandum, & ubi cõſtiterit, in aliud uas transfundendum. Alij lateres ueteres aſſatos igni tos immittunt. Alij panes ordeaceos aridos confringũt, & in lintea ualde rara inuolutos inijciunt, atq; ubi iterũ atq; iterum hoc fecerint, poſtremum ſalis grana indunt, & in uas purum transfundunt. Alij melilotum oleo illitum per diem ac noctem in oleum demittunt.

Vt oleum turbidum ſedetur. Eiuſdem.

CAP. XXIIII.

OLeum in uas ampli oris infuſum in ſolem calidum pones, & ubi ebullierit, ſalem tenuem torrefactũ inſperges, & poſtquàm conſtiterit aliò transfundes. Cæterũ ſordidum oleum hoc modo pellucidum facies. Oleæ corticem & ramulos, & ſalem, omnia contuſa & linteo illigata, in uas oleum continens ſuſpendes.

Si mus aut aliquod aliud animal in oleum illapſum, odorem eius uitiauerit. Democriti.

CAP. XXV.

COriandri faſciculum manualem in oleum ſuſpende. Si uero fœtor adhuc permanſerit, coriandrum permuta. Quidam in umbra exſiccatum coriandrum terũt, & oleo adijciunt. Alij fœnum græcum ſole ſiccant, & in uaſa mittunt. præſtat autem carbones ignitos ligni oleaginci in oleo extinguere. Alij uuas paſſas demptis uinaccis terunt, & immittunt, & poſt dies decem uuas paſſas eximunt, & exprimunt, agitatumq́; oleum in aliud uas transfundunt. Alij uuas paſſas eodem modo relictis uinaceis in mortario tundunt, & in oleum immittunt.

Quomodo

Quomodo oleum Hiſpano ſimile facias. Damegerontis. CAP. XXVI.

OLeo ab omni amurca puro ualde ſuperferuenti, triplum aquæ non ualde ſuperferuentis, & ſalem modicum tuſum & probe tritum immitte, commotioneq́; ac perturbatione facta ut per omnia permixtio fiat, per tempus aliquod quieſcere ſine, donec coniecta aqua ad amurcæ modum ſubſideat. Deinde oleum prædicto uaſi ſuperſtans, rurſus ſimiliter cum tepida aqua moueto, idemq́; facito, & de cætero purum oleum tollito. Deinde ſuccum foliorum oleæ tenerorum contuſorum ammiſcebis, quo acrimoniam quandam & amaritudinem, ex ipſis contrahat. Vbi conſtiterit oleum poſt triduum, ſiue etiam eodem die utaris. Alij autem etiam omphacinum oleum, aut aliàs bonum, in mortarium mittunt, ac terendo circumlinunt, & ubi uſus poſtularit uelut Hiſpano utuntur.

Quomodo oleo Iſtrico ſimile oleum facias. Sotionis. CAP. XXVII.

IN oleum omphacinum, aut aliâs bonum, inulam ſiccã, & lauri folia, & cyperum aridum, Omnia uidelicet & tuſa & trita & per cribrũ excuſſa immittes, & ſalem torrefactum ac tritum addes. Deinde multa cõmotione facta, donec conſtiterit ad dies tres aut plures ſerua, ipſumq́; ad tertias ebullire facito. Hoc eſt oleum Liburnicum appellatum, & ipſum adeò Iſtrianum.

Compoſitio & conditura oliuarum optima. Florentini. CAP. XXVIII.

OLiuas magnas & intactas, manu decerptas accipe, eaſq́; circum circa harundine acuta incide, atque ſic

ipſas in uas nouum non picatum immitte,& ſalem tenuiſſimum inſperge,& poſtquam ſal colliquatus fuerit,in alio uaſe mel,ſi fieri poteſt,in promptu habe:ſi uero non,ſapã, & folium citri,& in hanc conditurã oliuas mitte, ita ut liquor ipſis innatet. Quidam etiam fœniculi ſemen,& carnabadij,& apij,& anethi ad hanc conditurã ammiſcent,& oliuarum compoſitionem efficiunt ualde mirabilem,quæ ſanè uulgo ignoratur.

Compoſitio oliuarum per acetũ mulſum. Eiuſdem. CAP. XXIX.

OLiuas longas unà cum agnatis ramulis,pulcherrimas uidelicet & nigras penitus inconfractas accipe , & aqua frigida lotas in cratibus ſiccato,atq; ita acceptas eaſdem in peluim mittito, affuſoq; oleo, aſperſoq; ſale trito, chœnicis menſura ad chœnices oliuarum nouẽ, leniter manibus commoueto,ne confringãtur,deinde in uas translatis oliuis acetũ mulſum affundito,ita ut ſupernatet liquor, ſicq; obturatum uas fœniculi ramulis reponatur.

Compoſitio per muſtum. Eiuſdem. CAP. XXX.

OLiuæ albæ decerptæ aqua marina ad dies ſex macerantur,deinde mittuntur in uas,& muſtũ recens ſuperfunditur,uaſa autem non ualde replentur,ne in feruore muſtum effundatur,atq; ubi ferbuerit obliniunt. Alij præimmiſſo ſalis pugno,muſtum infundunt, & deinde oliuas addunt,& poſt muſti feruorem uaſa oblinunt.

Compoſitio oliuarum per uinacea uuæ. Didymi. CAP. XXXI.

VInacea recentia priusquã exprimantur,unà cum oliuis uiciſſim interpoſitis in uas cõdes, deinde oblines.

De oli

De oliuis contuſis & fractis.

Eiuſdem. CAP. XXXII.

OLiuas antequam matureſcentes nigreſcere cœperint ſaniores accipis, & in ligno confractas, in aquam calidam mittis, deinde in ſportam transfers, & exprimis, addisq; ſalem non tritum, cum cumino & fœniculi ramulis. deinde mittis in muſtum & operculo addito reponis.

De colymbadibus oliuis.

Eiuſdem. CAP. XXXIII.

OLiuas appellatas Colymbadas plenas & perfectas quum in uigore fuerint & prope maturitatem extiterint, unà cum exortu ex quo pendent accipito, & ut ne frangantur ac contundantur in magnum uas coniectæ quum deferuntur, diligenter proſpicito. Deinde frigida aqua lotas, paulatim in umbra per diem unam in calathis ac cratibus uimineis aſsiccato, & quo æqualiter ſiccentur leniter conuertito. Deinde præimmiſſo in fundum uaſis ſalis triti pugno, & poſtea muriæ congijs quatuor cum aceti heminis tribus infuſis, oliuarum chœnices uiginti immittito, & ubi expletum eſt uas commoueto. Liquor autem ſupereminea t, & obturatione per fœniculi faſciculum facta uas obturatur. Cæterum muriam ea gratia præinfundi oportere docuimus, ut ne uidelicet oliuæ dum immittuntur contundantur. Alij cum tenerrimis ramulis decerptas oliuas, in uas marinam aquam habens immittunt, & ad dies quinque uel ſex relictas eximunt, & in uaſa coniectas unà cum muria, oblinunt ac reponunt. Hæc autem omnia circa ſolſtitium hybernum fieri oportet.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. X.

HAEC inſunt in hoc libro, qui decimus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionem horti ſtructuræ & de fructu ac uoluptate inde contingente, & quando ſingulas arbores plantare oporteat, & quæ ex ipſis inſitione, & quæ inſoliatione utiliores fiant.

De horto. Florentini. CAP. I.

QVi hortum habere uelit, locum idoneum intra domeſticam habitationem, ſi fieri id commode poteſt, deligere debet: aut ſi id non detur, ex propinquo, ut nõ ſolum oculis ſpectantium intra ædes iucũditas hauriatur, ſed etiam ambiens aër ex fragrantia plantarum infectus, ſalubrem habitationem ac totam poſſeßionem reddat. Hortus autem ſepem circundatam habeat aut aliud quoddam munimentum. Ipſæ uero plantæ non inordinate neque mixtæ plantẽtur, tanquam ſanè quod aiũt, plantarũ diuerſitas decorẽ inducat. ſed ſecundũ genera ſeparatim ſingulæ plãtæ ponantur, ne minora à potioribus ſuperentur, aut etiã alimẽto priuentur. Interualla arborum expleãtur roſis, aut lilijs, aut uiolis, aut croco, quæ & aſpectu, & odoratu, & uſu iucundißima ſunt, & redditum augent, apibusq; utilia exiſtunt. Plantæ uero ex arboribus uigoroſis & Aſianis accipiantur. Cæterum quod noſſe expedit, plantæ à ſemine, ut plurimum omnibus alijs plantis ſunt deteriores:

res: præſtantiſſimæ autem plantæ ſunt nouellorum ramorum, & ex his meliores ſunt quæ inſeruntur, non ſolũ ad fructuum pulchritudinem ac bonitatem, ſed & ad ubertatem, & ad celerem ipſorum fructuum prouentum.

Quo tempore arbores plantandæ. Eiuſdem. CAP. II.

AVtumnale tempus ad plantationẽ accõmodatius eſt, & maxime in locis inaquoſis, per totam enim hyemẽ plantæ rigãtur. Oportet igitur ſimul ut pluuiæ fiunt, ſtatim poſt pleiadum occaſum plantare, aduſq; ſolſtitiũ hyemale, hoc eſt, uſq; ad decimã ſeptimam menſis Decembris. Hoc autẽ tempus autumni omnes qui de agricultura conſcripſerunt ſapientes, uelut idoneũ unanimiter delegerũt, deniq; Quintilij ipſi ſic tradunt. Cæterũ uere plantanda ſunt quæ autumno plantare neglexiſti. Ego uerò etiã ipſa experiẽtia hoc ipſum exacte didici, multaq́; uineta in Maratonyma regione, & in alijs propinquis ad me pertinentibus agris, hoc autumnali tẽpore deplantaui, & maximũ lucrum adeptus ſum. Plurimas etiam eodẽ modo arbores autumnales fructus, tum duri tum mollis corticis, nuces uidelicet & poma ferẽtes in autumno plantaui, & gratiã me habere tẽpori cõfeſſus ſum. Omnes igitur noſtræ regionis homines, ſucceſſu noſtro inde conſpecto, de cætero nõ amplius iuxta ueterẽ morẽ, in uere ſolum plantationẽ faciunt, ſed prius in autumno, meã hac parte doctrinã inſequentes. Quũ autẽ ſufficiat ipſum in hac re experimentũ, neceſſariũ tamen arbitror etiã rationẽ reddere ob quã ſcilicet plãtationẽ in autũno magis probẽ. Diſce igitur quòd nõ poſſibile eſt naturã duo inter ſe cõtraria ſimul operari, ſed

ri,ſed neceſſe eſt eam circa unũ occupatam,alterũ neglige re,uelut exempli gratia in plantatione,aliquando quidem ſupernas arborũ partes,aliquando uerò infernas, radices inquã,nutrit.Satis igitur conſpicuũ eſt quòd in uere altio res plantarũ partes nutrire conſueuit: profectò enim tunc & florẽ promunt,& germen emittũt arbores. In autũno autẽ uice uerſa,altiores quidẽ arborũ partes non amplius nutriuntur,ſed folia abijciunt.Radices uerò à natura alun tur.Illud igitur tẽpus ad plantationẽ eligendũ eſt, in quo natura circa radices eſt occupata. Omnes porrò arbores luna ſub terra exiſtente plãtare oportet, quemadmodum etiam uitem. Si uerò augeſcente luna arbor plantata ſit, uehementer augeſcet.Si autem decreſcente, ac deſinente, humilis quidem,uerum robuſtior omnino fiet.

Quæ arbores à ſemine plantandæ, & quæ auulſione, & quæ talea, & quæ ramo. Didymi. CAP. III.

DIuerſæ ſunt arborum plantationes. Conſpicuæ enim arbores à ſemine utiliter plãtantur.Aliæ ab auulſione,hoc eſt,ſtolonibus appellatis.Quædam à talea.Aliqua à ramo. Neceſſariũ igitur eſt declarare modos, iuxta quos ſingulæ arbores plantẽtur.À ſemine igitur plantatur,piſtacion,nux auellana,amygdalus,caſtanea,Rhodacenon, damaſcenõ,ſtrobilus,palma,cupreſſus,laurus, malus,acer, abies,pinus.Hæc autem tranſplantata meliora erunt. Ab auulſionibus autẽ ſiue ſtolonibus plantantur mala & ſimilia, uelut ceraſus, zizyphon,nux parua,Chamædaphne, myrtus, meſpilum. Auulſiones ſiue ſtolones appellantur qui arboribus uniti atque agnati ſunt, ex ipſis'que auellun

auelluntur unà cum conſpicua radicis parte. Oportet autem & auulſiones & ſtolones tranſplantare.

À talea uerò & ramis plantatur amygdalus, pirus, morus, citrium, malus, olea, cotonea, populus alba & nigra, hedera, zizyphum, myrtus, caſtanea. Et hæc tranſplantata meliora redduntur. Quæ uerò & ab auulſione, & à ramis, & talea, plantari poſſunt, hæc ſunt: ficus, morus, citria, punica, olea, ſycomorus, populus alba, myrtus acuta, cotonea. À ramis autẽ et talea tantũ plantãtur, nequaquã uerò auulſiõe, propterea ꝙ neq; ex radicibus ſtolones emittunt, hæc: uitis, ſalix, buxus, cytiſus. Quæ uerò et à ſemine, & auulſionibus plantari poſſunt, hæc ſunt: Præcocia, damaſcena, amygdalus, palma, piſtacion, platanus, laurus.

De palmarũ plantatione. Leontij. CAP IIII.

SCrobem cubitorum duorum profunditate, eademq; latitudine, aut etiam ampliore, aggere terræ cum ſtercore caprino explebis, ſemicubitali profunditate relicta, deinde in medio aggere glandis palmæ nucleum terræ implantabis, ita ut acies ipſius ſurſum ſpectet, obruesq; terra cum ſtercore & ſale ammixto, & quotidie rigabis, donec germen emittat. Quidã igitur hoc ipſum tranſplantant, quidã in loco ſinunt, & quandoquidẽ ſalſa terra gaudet, ſingulis annis circunfodere oportet, & ſalem adijcere. Sic enim cito magnæ fient. Floridiores autẽ euadunt fece uini ueteris rigatæ: oſſa uerò palmarum nõ ſtatim in terra ponẽda ſunt, ſed in tegulæ fundo, atq; ſic trãſplãtanda. Cæterũ palma ipſam amat & quidẽ ardẽter, alterã palmã, uelut Florentinus in Georgicis ſuis tradit: neq; prius deſiderium in ipſa ceſſat, donec ipſam dilectus conſoletur. Videre enim

eſt ipſam

eſt ipſam arborē incuruatam, & nō ferentē propriū firmamentū, neq; fructū producentē. Atq; *hoc ipſum agricolā nō latet,* Nouit *enim quod amet, quam uerò amet ignorat. quapropter multas palmas cōtingens, rurſusq; ad amantē regrediens eamq; manu attingens, quaſi oſculū mutuo miniſtrare uidetur. Quam uerò palmā deſideret, affectionū et ſi ita dicere liceat, manuū nutu, aliquo modo ſignificat, ad illam enim reſpicit, & in illā radicib. extētis, ſe amāter inijcit, eamq; quaſi amplectitur.* Medela *igitur amoris eſt, ut agricola frequēter maſculam cōtingat, & manus ſuas amanti admoueat. & maxime ut flores de capite maſculæ ademptos, in caput amantis imponat.* Hoc *nanq; modo amorem mitigat, & palma ipſa ſplendida reddita de cætero optimum ac pulcherrimum fructum feret.*

Quomodo floridus palmarum fructus fiat. Democriti. CAP. V.

FRuctus *palmarum generoſus fit, quum uacuas uaginas, quas aliqui helicas uocant, florentes ablatas & ſiccatas ex ramis ac truncis ſuſpenderis quēadmodum groſſos ex ficis.*

De germinibus & uiminibus textilibus palmarum. Didymi. CAP. VI.

FLoridæ *uerò & altæ fiunt palmarū arbores, fece uini ueteris incolata radicibus affuſa.* Iuuantur *etiam ſale iniecto.* Quo *uerò ad ſtoriarū & ſportarū texturam alba et idonea fiant germina, uiridia adhuc ipſa de ramis auellimus, & ſub tegmine deponimus ad quatriduū, et poſtea rurſus roribus expoſita, ad quatriduum complui ſinimus, & à ſole reſiccari, donec alba euadant.*

De tem

De tēpore plantationis citrij, & circa ipſum adhibēda cura, & quomodo rubra fiant. Florentini. CAP. VII.

Citrium plantandū eſt ab antūno uſq; ad æquinoctiū uernū. Gaudet aqua larga, & ſola omnium arborum ab auſtro opem ſentit, à borea uerò læditur. Quādoquidē autē grauis eſt fructus, decerpere ſanè oportet multos, et paucos relinquere. Sic enim habitiores fiūt. Cæterū iuxta muros citrium plantandū eſt, ut munimentū habeat aduerſus ſeptentrionales partes. Circundatur per hyemē ſtorijs, & maxime cucurbitarū ſarmētis. Naturalē enim quandā contrarietatē habent ut ipſum à frigore illæſum tutentur. Quapropter lignoſiora & craſſa ſarmenta cucurbitarum uremus, horumq; cinerē radicibus citrij aſpergemus. Ipſe autē citrij fructus prius quàm perfecte augeſcat, in uas fictile aut uitreū imponatur, augeſcēs ad uaſis figurā efformabitur, tantusq; fiet quanta eſt uaſis magnitudo. uidetur autē fructus hoc quaſi certamine initio induſtrie præſtare. Oportet autē uaſi perſpirationē relinquere, hoc eſt, cauernas incutere. Verū noſſe expedit, quòd citriū ſi inoculetur, ſterile erit, quare iuxta modū inſitionis per carnem inſerere cōuenit, quemadmodū & uites. Porrò ſi fructum gypſo ſubacto illeueris, illæſum penitus ipſum per totum annum cōſeruabis. Ipſa planta etiā ſi parū de glacie participauerit, uredine perit, utpote quæ natura delicatior exiſtat. Quidā diuites & delitijs gaudentes, ſub porticus ad ſolē ſpectantes, iuxta murum arbores citrias plantant, & aqua largerigant, atq; æſtate quidē incōtectas porticus ſinunt, plantas & ſole foueri, ac calfieri permittentes.

hyeme

hyeme uerò accedente plantas tegunt. Quòd ſi rubra citria facere uelis, inſitionẽ ipſorum in morũ facito, & uice uerſa, & citria rubra fient, et utraq; arbor fructum feret. Poteſt etiam citrium in punicam inſeri.

Aliud de plantatione citrij.

Anatolij. CAP. VIII.

QVidam citria non ſolum à talea plantant, ſed etiam à claua, incuruato uidelicet ramo, atq; ita duo rami principia in ſcrobem depanguntur & adobruuntur, ipſumq́; germen ſurſum erũpit è fornice, ſi ita dicere licet. Quidam nodoſas citrij plantarum taleas, quæ incuruari non poſſunt, ſecundum caput plantant, craßiore parte ſurſum, tenui in terram defixa, & cinere cucumerariorum ſimul iniecto.*

Quomodo citrium facies figurã præ ſe ferre cuiuſcũq; auiculæ, aut hominis faciem exprimere, aut alterius animantis.

Africani. CAP. IX.

PRædictum citrij fructum ſimulachri formam reddere facies, uel humanæ faciei, uel alterius animalis, hoc modo, Gypſo aut luto quicquid uoles integis, et perfrigeratum in duas partes inſtrumento quopiam acuto ſecas, ita ut anterior & poſterior pars coaptari ac cõmitti queant, indeq́; ſiccatum in figulina torres. Quum uerò fructus ad dimidiam partem ſui augmenti peruenerit, formas illas circundatas uinculis diligenter munies, ne ab augmento eius quod circundatũ eſt diuellatur, ſiue id pirum, ſiue malum quodcunque, ſiue punicum, aut citrium fuerit, & ſuſcipiet omnino circundatas. Et ut in ſumma hoc dicatur,

fructus

fructus omnes pomorum, in animalium formas exprimendas coget, quiſquis in formas exculptas impoſitos et incluſos augeſcere permuttet.

De diuturnitate & repoſitione citriorum. Sotionis. CAP. X.

SI *citrij fructum gypſo ſubacto probe illeueris, illæſum & per totum annum integrum conſeruabis. Citria in hordeum occultata & obruta, non putreſcunt.*

De plantatione piſtaciorum. Diophanis. CAP. XI.

FR*uctum piſtaciorum non deſquamem, hoc eſt, ſquamas omnes illæſas habentem, iuxta prædictum modum plantato. Didymus in Georgicis ſuis ait piſtacion in amygdalum inſeri.*

Aliud de plantatione piſtaciorum. Damagerontis. CAP. XII.

PI*ſtacia ſeruntur circa calendas Apriles, mas & fœmina coniunctis naturis, mare ad Fauonium dorſum habente. Sic enim fructum producent. Eodem tempore inſeruntur etiam, tum in ſuum genus, tum in terebinthum, atque uelut opinor etiam in amygdalum. Paxamus iubet ſcrobes prius faciendos eſſe, in locos ſoli expoſitos, probe ſubactos, & accipiendos arborum ſtolones nouellos uigoroſos, eos'que colligatos ſimul in ſcrobem deponendos eſſe, idq; ſecunda luna: & à terra uſq; ramulos cõplecti ipſos iubet, & ſcrobẽ ſtercorare, adobruereq; & paſtinare, curareq; ut octonis diebus rigentur, & per totidẽ rurſus cõſtringantur. Poſtquã uerò triẽnales facti fuerint trunci, effodere iuxta radicem, ipſam ſcrobẽ, et bene*

ſtercorare

ſtercorare, & truncum inferius aliquantulum depangere, atq; ita obruere, ut ne quũ magna facta eſt arbor, & uentus fortiter ſpirat, arbor decidat.

De plantatione Rhodacenorum & cura circa eadẽ habenda. Florentini. CAP. XIII.

Rhodacena aquoſis locis gaudent, aut aßidue rigatis. Sic enim fructus maior euadit. Quidam multa perſica auferunt, & pauca relinquunt in arbore. Sic enim maiora erunt, alimẽto in pauca cedẽte. Habitiores autẽ fiunt plantæ, ſi ſimul ut ederimus oſſa ſeremus, parte aliqua carnis circa oſſa relicta. Quũ uerò notũ ſit rhodacenon cito ſeneſcere, oportet hoc in damaſcenorũ arborẽ, aut in amygdalum amaram inſerere, aut etiam in barbilum, Barbilus autem proprie uocatur, arbor ex oſſe perſici enata.

Inſcripta perſica ut naſcantur. Democriti. CAP. XIIII.

Perſicum inſcriptum ſic faciemus. poſtquã Rhodaceni fructũ comederis, oßiculum ad dies duos ſiue tres macerato, & leniter aperito, & repertam intra os amygdalam ſiue nucleum accipito, in eiuſq; cortice ſtilo æreo inſcribito, quicquid tamen libuerit non profunde. deinde papyro inuolutum plãtato. Quicquid ſanè in amygdala inſcripſeris hoc ipſum in fructu reperies. Quidam etiam hoc ipſum in uera amygdala faciunt eodem ſucceſſu.

Vt Rhodacena rubra fiant. Eiuſdẽ. CAP. XV.

Rubra facies Rhodacena, roſis ſub ipſas plantas conſitis. Facies & iuxta alium modum rubicundum fructum. Si enim obrutum Perſici os poſt dies ſeptem detexeris. In his enim diebus ſua ſponte aperitur, & cinnabari

nabari intra oſsiculũ infuderis, & hoc ipsũ rurſus obrutũ cura & diligentia dignatus fueris, inde rubra perſica habebis. fortaſsis etiam alium colorem ſi infundere libuerit, eundem quoq; ſimiliter fructui affricabis.

Quomodo perſica ſine oſſe proueniant. Africani. CAP. XVI.

TRuncum arboris inferne perforabis, & medulla exciſa, ſalicis aut corni paxillum impinges.

De inſitione rhodacenorum. CAP. XVII.

RHodacenon inſeritur in damaſcenum, & amygdalum & platanum, ex qua etiam rubicunda rhodacena fiunt.

De tempore plantationis malorum, & omni eorum cura. Anatolij. CAP. XVIII.

MAla duobus anni temporibus plantanda ſunt, & uere, & autumno. Præſtat autem plantare autumno, locis inaquoſis poſt primos hymbres. Gaudent mala locis frigidis & humectis ac nigra terra. Non erodentur autem à uermibus, ſcilla circum ipſa plantata. Quæ uero iam uermes habet, curabitur ſuillo ſtercore per hominis urinam ſucculento reddito, radicibus affuſo. Valde enim gaudet malus urina, & hac aſsidue eſt irriganda. Quidã etiã ſtercus caprinũ ad urinam apponunt, & uini ueteris fecem radicibus affundunt, dulciorem fructum efficientes. Aegrotantem autẽ malum curabit ſtercore aſinino aqua diluto rigatam ad dies ſex. Rigabis autem eam ſole occidente frequentius per interualla, donec germen erumpat. Quòd ſi uelis eam multum fructũ ferre, & eum non abijcere, de canali plumbeo oſculum deſeca, idq; trunco obli-

ga aut circũſtringe, altitudine pedis à terra. Vbi uerò florere cœperunt mala, uinculum ſiue amuletum tolle. Hoc ipſum ſingulis annis fiat, & fertilis euadet. Quò uero fructus in arbore nõ computreſcat, neq; ipſum eruca cõtingat, lacerti uiridis felle truncũ illine. Oportet autẽ plantas malorũ uiuiradices accipere uelut generoſiſsimas, & imponere in ſcrobes, ſummitate tantum ſupra terram relicta. Radices plantæ ante plantationẽ taurino felle oblinãtur. Hæc enim planta celerrime à uermibus iniuria afficitur. Moleſtos autẽ uermes etiã clauo æreo effodere ac eruere oportet, cortice excoriato donec beſtiola deprehendatur. Loci uero ulcerati fimo bubulo integantur.

Vt mala rubra fiant. Berytij. CAP. XIX.

ARbor urina rigetur, & rubeſcet fructus. Quidam uero malorum fructus hoc modo rubicundos efficiunt. Palos in terrã depangunt, & incuruatos ramos qui fructum habent, citra conquaſſationem palis religãt, & ſcrobes in propinquo ipſorum aut alia uaſa aqua implent, coniectatione facta, ut in meridie ſolis ſplendor in aquam illabens, calidumq; uaporem remittẽs, & per refractionem in fructum incidens, coloris bonitatem & rubedinem operetur. Quidam roſas ſeminant ſub plantas, hoc modo fructus rubicundos efficientes.

De inſitione malorum. Diophanis. CAP. XX.

MAlum in omne pirum ſylueſtrẽ inſeritur, & in cotoneorũ malum, fiuntq; ex cotoneis mala pulcherrima uocata apud Athenienſes Melimela. Inſeruntur mala etiam in platanũ, à qua rubicũda mala fiunt. Didymus uero in georgicis ſuis ait, quòd mala rite inſerantur in

damaſcena

damaſcena, & quòd malum ſi inſeratur in citrium, ferè ſemper fructum ferat.

De durabilitate malorum. Apuleij. CAP. XXI.

MAla in multum tempus durant, ſi in uigore ſunt decerpta, id quod manu faciendum eſt caute, ut ne quaſſentur: ſingula uerò in algas, hoc eſt maris muſcum, ſeorſim inuoluantur, ut undiquaq; ſint cooperta, & imponantur in ollas crudas, apponantur etiam algæ unà cum lignis malorum, ut ſe mutuo non contingant, deinde ollis opercula obdantur, & deponantur in loco ſublimi perfrigerato, extra fumum & omnem graueolentiam. Si algæ nõ ſint, in ualde minutas ollulas crudas ſingula mala indantur, & addito operculo reponantur. Quidã terra figulina ſingula mala oblinunt, ſiccant & reponunt. Seruantur etiam integra mala, ſubſtratis ipſis nucum folijs. Multũ enim conferunt ipſis et ad coloris bonitatẽ, & ad odoris iucunditatẽ. Melius autem feceris, ſi ſingula mala in folia nucis inuoluta repoſueris. Conſeruabis etià mala, ſi in ollas intrinſecus inceratas repoſueris, & diligẽter ipſas cooperueris. Imputrida perdurãt mala ſi in ordeum immittãtur. Conſeruabis eadẽ & hoc modo. Accipe uas ſictile non picatum in fundo perforatum, idq́; malis manu decerptis, incolumibus, non inueteratis, exple, & uas myachanta, aut aliquo alio ſecure obtura, & in quacunq; arbore ſuſpende, & per totam hyemem ſine, et talia permanebunt qualia ſunt iniecta. Quod ipſum etiam experimento condidicit. Seruantur mala etiam ſic. Vnumquodq; malum ficulneis folijs ſiccis inuolue, deinde luto argillæ albæ intege, & perfrigerata in ſole repone. Permanent etiam

conſeruata à uini fece, & ipſum quoq; uinum conſeruabunt omnium miraculo. Sed & in ollam nouam immiſſa, & olla in dolium uini immerſa, ita ut ei innatet, & dolium oblinatur, recentia erunt mala, & uinum ipſum odoratum. Quin et in ſinuoſas capſas componuntur cum tomentis puris, & conſeruantur. Hyemalia autem mala optime in ſeminibus ſeruantur, in quibus etiam uuas ſeruari prædiximus. Satyrij uiridis herbæ uirore ſummitates malorum illine, & non putreſcent.

De plantatione pirorum, & cura eorundem, & ut nihil lapidoſum habeant.

Quintiliorum. CAP. XXII.

P*Rælecto ex ſcrobibus omni lapidoſo, piri plantam pangito, et terra cribrata aggeſta rigato. Si uerò iam plantata eſt arbor, eam uſque ad imas radices retegito, & quicquid lapidoſum repereris eligito, effoſſam uerò terram cribratam cum ſtercore immittito, & obrutam rigato. At uerò pirorum genus frigidis & humidis locis gaudet. Nec ſolum ex uiuiradicibus plantatur, ſed & ex ſtolone illarum auulſionum. Si uerò uiuiradices plantaturus es, ſint hæ ipſæ triennes, aut non minores duorum annorum. Quidã etiam trunci generoſiſsimas partes ſcytalas faciunt, eaſq́; plantant quemadmodũ à ſcytalis oleas. Aliqui uerò ex ſuperna arborum parte ramos generoſiſsimos acceptos plantant, neq; ſucceſſu fruſtra ſperato.*

Aliud de plantatione pirorum.

Diophanis. CAP. XXIII.

P*Irorum genus frigidis & aquoſis & uberibus locis gaudet. Eſt autem multarum ſpecierum. quapropter*

etiã

etiam uaria plantatione opus habet. Etenim *magna genera longorum & rotundorum quæ in ipſo ligno fructum maturum faciunt, citius plantare conuenit. Reliquorum plantatio à media hyeme inchoanda uſq; mediū uer. Plantatur etiam in tepidis locis & ad orientes aut ſeptentrionem inclinatis, neq; ſolum ex auulſionibus, ſed etiam uiuiradicibus non minoribus duorum annorum. Terra autem ſimul inijciatur ſtercore ammixto. Quidam melius faciunt, qui talia magis inſerunt quàm plantant, & uiuiradices piraſtros, aut etiam alias huiuſmodi plantas, ex ſalubribus locis translatas prædicto modo plantant, deinde ubi comprehenderint hæ plantæ, in ipſas inſerunt quodcunq; uiſum fuerit pirorum genus, aut etiam ſurculos indunt. Quòd ſi uelis pirum dulcem facere, & uberiorem fructum ferre, truncum ad ipſam terram perforabis, & cuneum ex quercu aut phago adiges, atq; ita obrues. Si uerò dum floret ægrotat, curabis ipſam fece uini ueteris radicibus affuſa, rigandoq́; ad quindecim dies, poſtea uerò obrues. Quòd ſi etiam non ægrotet, affuſa tamen fece dulcior fructus euadet. Fructus porrò à uermibus non lædetur, ſi radices dum plantantur felle bubulo illinantur.*

De inſitione pirorum. Tarentini. CAP. XXIIII.

P*Irus inſcritur in punicam, & in malum cydoniam, et in amygdalum, & in terebinthum, & in morum. Inſita autem in morum, pira rubicunda producit.*

De diuturnitate pirorum.

Democriti. CAP. XXV.

P*Irorum pediculos picato, ipſaq́; ſic ſuſpendito. Alij in uas nouum fictile pira inijciunt, & ſapam affun-*

dunt, aut muſtum, aut uinum, ad uaſis repletionem, & ſic deponunt. Alij ramentis & ſcobe obruta pira ſeruarunt. Quidam in folijs aridis nucis ea componũt. Aliqui in uas fictile nouum, parum ſolis habens, ſapam & uinũ & muſtum infundunt, & pira immittunt, & occluſum uas reponunt. Alij in uinaceis uini dulcis ipſa componũt, ita ut diſparata inuicem iaceant.

De plantatione cydoniorum.
Didymi. CAP. XXVI.

CYdonia eodem tempore & modo plantantur, quemadmodum in piris eſt prædictum, itemq́; in ceraſijs.

Vt malum cydonium ſimulacri formam referat. Democriti. CAP. XXVII.

MAla cotonea ſpeciem animalium præ ſe ferent, ſi in formas typorum indita, augeſcere in ipſis permiſeris.

De durabilitate cydoniorum. CAP. XXVIII.

CYdonia in muſtum coniecta, tum ipſa perdurant à fece conſeruata, tum uinum quoq; conſeruabunt, & odoratius reddent, omnium miraculo. Sed & in ollam nouam indita, ipſa olla in dolium uini immiſſa, ita ut ei innatet, & dolium oblinatur, Cydonia recentia erunt, uinum uerò odoratũ. Quin & in ſinuoſas capſas cum tomẽtis puris compoſita, ſimiliter ad multũ tempus ſeruantur, itemq́; ſcobe obruta. A ſcobe enim reſiccata opẽ ferũt. Probè etiã in paleis deponũtur & ſeruantur. Minimè autẽ ſeruãda ſunt cydonia in domo ubi alij pomorum fructus repoſiti ſũt. Sua.n. acredine & odore adiacẽtes corrũpũt, et præſertim uuas. Quædã cidonia folijs inuoluta, luto argilloſo

cum

cũ pilis probe ſubacto aut terra figulina integunt, deinde ſole perfrigerata ac ſiccata reponũt. Vbi autem uſus poſtularit, lutũ confringũt, & reperiũt cydonia qualia fuerunt iniecta. Idem in malis facere expedierit. Seruantur etiam in ordeo, ſimiliter in muſtum iniecta.

De plantatione, curaq́; & diligentia omni circa punica mala habenda. Florentini.

CAP. XXIX.

PVnica calido aëre gaudet, & in locis minime aquoſis plantatur. Oportet autem dum plantantur, ſcillam ſimul cum ipſis immittere. Verum uiridia in arbore uſq; ad uer permanent, ſi ramulos ipſorum ſemel atq; iterum obtorſeris, quũ in uigore exiſtant, & cucurbitas aridas & rapa ſingulis circundederis, ut ne humectentur, neq; ab auibus arrodãtur. Aegrotantes punicas arbores curabis algis è mari eiectis, ſi ex eis truncum circa radices contexeris, & aßidue rigaueris. Diophanes in georgicis ſuis ait rubicũda fieri mala punica, ſi ex lixiuio balnearum arborum radices rigentur. Democritus autem tradit punicam & myrtum inuicem gaudere, & ex propinquo ſimul plantatas fructu abundare, & radices mutuo implicare, etiam ſi non ualde uicina exiſtant.

Vt punica non hient. Africani.

CAP. XXX.

DVm punicas plantas, ſilices in ſcrobem præmitte. Si uero prius plantatæ fuerint, ſcillas iuxta plantato. Eæ enim contrarietate naturali ipſa mala hiare non permittunt. Similiter autem ſi ſecundum caput plantatæ fuerint, non hiant.

Vt malum punicum ſine granis facias. Eiuſdem. CAP. XXXI.

SI exemeris quemadmodum in uua, conſpicuam medullæ partem, & fiſſum lignum obruas, & poſt tempus recideris ſupereminentē plantæ partem quæ iam germen emiſit, fructum ipſum ſine granis punica producet.

Quòd punicæ ramus beſtias uenenatas fuget. Eiuſdem. CAP. XXXII.

PVnicæ ramulum ferunt beſtias uenenatas & ſerpentes arcere, & propterea in ſtramentis ac ſtragulis eū deponendum eſſe cenſent, ſecuritatis ergo.

Vt malum punicum rubicundius fiat. Didymi. CAP. XXXIII.

SI malum punicum rubicundius efficere uelis, plantam aqua cum lixiuio balnearum permixta rigabis.

Quomodo malum punicum acidum dulce fiat. Paxami. CAP. XXXIIII.

RAdices arboris circunfodito, & ſtercus ſuillum aggerito, & ſuperingeſta terra, cum urina hominis rigato. Cæterum de hoc in alio noſtro georgico opere, libro tertio capite uigeſimoſeptimo perfectius à nobis dictum reperies.

Vt punica multum fructum ferat. Democriti. CAP. XXXV.

POrtulacam & Tithymallum probe contundes, indéq; truncum arboris punicæ oblines.

Vt accepto ab arbore punico malo, dicere poſsis quot grana habeat. Africani. CAP. XXXVI.

Vnum

VNum punicũ malũ aperias & numeres, & quot in ipſo grana repies, tot in ſingulis eſſe iudica. Etenim quod paruũ aut magnũ eſt malum punicum, id non ab eo q; plures aut pauciores acinos ſiue grana habet ei cõtigit, ſed ab eo quòd maiores aut minores iidem existunt.

De inſitione mali punicæ. Florentini.

CAP. XXXVII.

PVnica diuerſo à reliquis arboribus modo inſeritur. eligunt enim truncum fructuoſum qui uſq; in terrã depangi queat, & ipſum uelut reliquas arbores per inſoliationem ſub corticem inſerunt, & ſimiliter uinculis muniunt, deinde in terrã depangunt, non attingentes inſitã partem, ſed inferiorẽ, & amurca perfundunt, atq; ſic adobruũt, ualdeq; firmãt ut ne recurrat donec ſurculus enaſcatur. Scire autẽ expedit quòd in alijs arboribus ſurculos accipimus prius quàm in germen erumpat, in punica uero etiã poſt germinationẽ. Quẽadmodum autem ſuperius dictũ eſt, punica ualde delectatur myrto, quemadmodũ etiã Didymus in georgicis ſuis docet. Deniq; inquit, ſi in myrtum punica inſeratur, aut uiciſſim, myrtus in punicam, multo maiorẽ feret fructum. Recte igitur punica in myrtum inſeritur, aut in ſalicem. In punicam uero inſeritur citrium, Didymo in georgicis ſuis autore.

De diuturnitate & repoſitione ac conſeruatione malorum punicorum. Beritij.

CAP. XXXVIII.

MAla punica quæ in hyemem ſeruaturus es, leniter decerpere conuenit ne atterantur, hoc enim principiũ putrefactioni exhibet. Poſtquàm igitur citra læſio-

nem ipſa collegeris, cæſuris in liquidam coctam picē immerſis ſuſpendes. Alij ipſa mala immergūt, & poſtea perfrigerata ſuſpendūt. Paratur & uinum ex punicis malis, eſtq́; optimus potus. Alij ſarmētis ſingula mala inuoluūt, & funiculis reuinciunt, & gypſo diligenter undiquaq; oblinūt, ut ne tumefacta rimam accipiant, & ſic in arbore eſſe ſinunt, quod ipſum & in pomis fieri poteſt. Alij cōponūt punica in ſcobe quercina præinfuſo aceto. Quidam aquā marinā calfaciunt, aut muriā feruere faciūt, & in ipſam punica immittunt, & poſtea in ſole perfrigerata ac ſiccata ſuſpendunt. Vbi uero uti uolūt, biduo ante ipſa in aqua macerāt. Alij per tēpus aliquod punica in arbore permanere ſinunt, & ſingula in nouas ollas indūt, & occludunt ſic muniētes ut neq; ad truncos ac ramos, neque inter ſeſe mutuo collidantur ac rūpantur, & ſemper uirentes habēt. punica ad multū tēpus permanent, ſi in puram calidā aquam tingantur, ac ſtatim extrahantur. Punica etiā in harenam ſiccam componi poſſunt, aut in frumentario aceruo in umbra deponi, donec rugoſa fiant.

De plantatione damaſcenorum. Pamphili.

CAP. XXXIX.

Damaſcena arbor terra ſicca gaudet, & aëre calido, & plantatur ſimiliter ut barbilus, eodemq́; tempore & in iiſdem diebus inſeritur in quibus barbilus in ſui tamen generis arbores, & in malos.

De diuturnitate damaſcenorū. Eiuſdem.

CAP. XL.

IN uaſa mittuntur damaſcena, & aſſunditur ab alijs quidem uinum nouum, ab alijs dulce, expletoq́; & cooperto

cooperto uaſe relinquuntur.

De plantatione ceraſiorum. Eiuſdem. CAP. XLI.

SImiliter ut mala & pira, etiam ceraſia plantantur ac inſeruntur. Gaudet autem hæc planta frigidis & humidis locis. Maximè uerò inſitione delectatur, neq; unquam bonum aut dulcem fructum ceraſus dabit, ſi non fuerit alteri arbori inſita. Si uerò in ceraſum uua nigra fuerit inſita in uere uuas feret.

De diuturnitate ceraſiorum. Eiuſdem. CAP. XLII.

CEraſia ab arbore ablata ante ſolis exortum, deinde in uas iniecta, thymbra in fundo ſubſtrata, deinde ceraſijs iniectis, & rurſus thymbra & aceto multo dulci affuſo, ſeruantur. Eodem modo etiam ſeruantur in ſtipula.

De plantatione zizyphorum. Vindanionij. CAP. XLIII.

ZIzyphon plantatur etiam ex ramis è media arbore acceptis, quemadmodum Didymus in Georgicis ſuis tradit.

De durabilitate Zizyphorũ. Eiuſdem. CAP. XLIIII.

ZIzypha ſeruantur in uinum mulſum coniecta ſubſtratis ipſis, item'que incumbentibus folijs harundinum.

De tempore plantationis, & cura ficuum. Didymi. CAP. XLV.

FIcus duobus anni temporibus plantantur, In uere & autumno. Ex omnib. autem plantis ficum uerè plantare præſtabilius eſt. Quum enim delicatior ſit planta, fa-

cillimè

cillime à glacie & uentis rumpitur, & frangitur, quare poſt glaciem in uere magis plantare conuenit. Ego uerò per totũ Iunium plantationẽ feci non ſine ſucceſſu, tranſplantauiq́; ac rigaui, et habui ex ipſis magnas arbores ac fructiferas, & ſanè ex aßiduo experimento non ſolum in uere, ſed etiam Iunio menſe plantare perſeueraui. Oportet tamen ficus in locis calidioribus & in terra pingui, nõ tamẽ rigata plantare. Multitudo enim aquæ naturalem ficuum pulchritudinem corrumpit, ipſasq́; facile putreſcere facit. Plantatur etiam alio modo. Si quis enim ficus maceret, easq́; funiculo circumlitas & cum eodẽ plantatas riget, multæ plantæ innaſcentur, quas tranſplantare conuenit. Si uerò uiuiradices fici plantas quis ponat, eas ſcillæ immiſſas plantare oportet. Quidam muria macerantes plantã pangunt. Præſtat autẽ ſi ramos plantaturus es, ut ipſos in bubulo ſtercore riges. Alij cum planta calcem uiuã inijciunt, & non fallit neq; fruſtratur ipſos plãtatũ. Scire expediens eſt quòd ſeneſcens ficus fertilior euadit. Quidã cinerẽ alij rubricã radicib. adijciunt. Si uerò uelis ficũ non recurrere in altum, clauam ſecundũ caput plantes. Plantatur etiã commode ficus à fructus ipſius granis.

Vt plantæ à uermibus liberentur. CAP. XLVI.

FIcus uermes non producent, ſi ramum in ſcillã fixeris ubi plantare uoles. Qui uerò iam adſunt uermes perdentur, calce radicib. & in cauas trunci partes inſperſa.

Inſcriptæ ficus ut fiant, Democriti. CAP. XLVII.

OCulum fici quem inſoliaturus es inſcribito quomodocunq; uelis, & ficus inſcriptæ germinabunt.

Vt ficus

Vt ficus fructum non abijciant.

Eiuſdem. CAP. XLVIII.

FIcus fructum non abijcit, ſi ex moris truncum eius illeueris. Similiter non abijcit fructum, ſi radices ipſius ſale & algis marinis intexeris, aut in ſemiplena luna truncis rubricam induxeris, aut groſſos ex ipſa amuleti uice ſuſpenderis. Quapropter aliqui in ſingulos ramos ipſos inſerunt, ut ne ſingulis annis circa hoc faciendum ſint occupati. Continet fructum ficus, ſi circa pleiadas ſcrobes circunfoderis, & amurca cum aqua æqualiter mixta truncum perfuderis.

Vt ficus ſilueſtris manſueſcat.

Africani. CAP. XLIX.

FIcum ſilueſtrem manſuefacies, ſi putatos ramos uino & oleo madefeceris & rigaueris per ſeptem dies.

De ſcabioſa fico. Leontij. CAP. L.

SCabioſam ficum curabis ſcilla iuxta radices eius plantata, aut rubrica aqua diluta circum truncum ipſius oblita.

Vt ficus præcoces & aluum ſoluentes fructus ferat. Democriti. CAP. LI.

QVum ficum plantas ad ſummas radices ueratrum nigrum contuſum ſimul cum tithymallo mittes, et habebis ficus uentrem emollientes. Matureſcent autem ficus ante tempus, ſi columbæ ſtercus, & piper, & oleum iuxta adieceris. Florentinus in Georgicis ſuis præcocem et theriacam ficum fieri ait, fructu ex antidoto theriaca illito. Si uerò ante tempus ficus edere uelis, columbinum ſtercus & piper oleo mixta olynthis & großis circũlines.

De inſitio

De inſitione ficorum. Leontij. CAP. LII.

FIcus inſeretur in morum & in platanum. Inſeritur autem non ſolum uere quemadmodum aliæ arbores, ſed etiam æſtate uſq; ad ſolſtitium hyemale, uelut etiam Florentinus prodit.

Vt fici fructus ex una parte albus ſit, ex altera ruber. CAP. LIII.

DIuerſa ſarmenta accipito, & prius colligatos ramos eiuſdem temporis ac ætatis exiſtentes in ſcrobe deponito, ſtercoratoq́; ac rigato. Quum uerò germinauerint, rurſus utroſq; oculos in idem colligato, quo in unum truncũ coaleſcant, et poſt duos annos, ſi ita uiſum fuerit, tranſplantato, & gemini coloris ficus habebis. Quidam maiori ſecuritate idem faciunt hoc modo. Duorum ficorum diuerſorum ſemina ſiue grana linteolo illigata plantant, & tranſplantant.

Vt aridi fici fructus, qui iſchades Græcis uocantur, imputridi permaneant. Paxami. CAP. LIIII.

ARidæ ficus hoc eſt caricæ imputridæ permanent, ſi tres ex eis in picem liquidam miſeris, et unam quidem inde in fundum dolij poſueris, & ficus aridas inſuper indideris, uſquequo dolium ad medietatem expleatur. Deinde rurſus unam ex picatis, & rurſus alias, donec totum uas compleatur, & tertiam demũ picatam ſuperne impoſueris. Ad multum autem tempus bonæ perdurant, ſi in ſportis in clibanũ ſuſpendantur, ubi panis eſt extractus, et in fictile nouũ non picatum indantur. Oportet autẽ ficus decerpere unà cum fundo, & pediculo ex quo dependent,

& mu

& muriam cum oleo ferueſactam in ſole irrorare, & in uas mittere, idq́; luto oblinere. Noctem tamen unam antea rori exponere, & poſtea uaſi committere.

De olynthis ſiue immaturis ficubus. Africani. CAP. LV.

IMmaturæ ficus non decidunt, ſi arboris radice inciſa, ſalis chœnicem immiſeris, & terram inſuper aggeſſeris.

Quomodo poſsibile ſit uirides ficus uelut in arboribus recentes conſeruare. Eiuſdem. CAP. LVI.

FIcus poſt maturitatem in arboribus manere non poſſunt, quemadmodum alij pomorum fructus, ſed per ſeipſas defluunt, etiam ſi nemo ipſas auferat. Attamē poſſibile eſt ipſas recentes ſeruari quemadmodum in arbore, hoc modo. Quum opercula uini dolijs obditurus es, ollam nouam accipito, aut aliud uas non rotundum & oblongum, ſed iuxta impoſitionē, qua uidelicet parte deponitur, uelut quadrangulum fundum habens. Deinde auferens ficus ab arbore paulo crudiores cum pediculis ſiue umbilicis, hoc eſt cū parte ex qua in arboribus pependerunt, eas in ollam leniter impone, ita ut diſtent inter ſe, ollamq́; diligēter obtura, & in doliū ut innatet mitte, deinde dolium tege & occlude. Hæ ficus permanēt quales fuerūt iniectæ, niſi uinū aceſcat. Conſeruantur recentes ficus etiam hoc modo. Ex recentibus cucurbitis eximere oportet ex lateribus eas partes quæ ſplenijs ſimiles exiſtunt, easq́; exſculpere uelut Thecas ac uaginas. Deinde in ſingulas, ſingulas ficus imponere, & obditis exemptis ſplenijs obtu

nijs obturare, & ſuſpendere in loco umbroſo, uitata ignis & fumi allatione. Decerpere autem ipſas oportet cum appendicibus, quæ enim integræ ablatæ ſunt, plurimum tempus perdurant. Quidam in melle diſponunt ficus, ita ut neq; ſe mutuo, neque ipſum uas contingant, & operculo addito ſinunt. Alij uitreum poculum, aut aliud quoddam ex pellucentium genere, ficubus leniter immerſum ſuperimponunt, ceram circumlinentes nulla perſpiratione relicta, & manent immarceſcibiles.

De tempore plantationis Thaſiorũ, curaq́; & inſitione. Florentini. CAP. LVII.

AMygdalæ quæ & nuces Thaſiæ melius autumno plantantur, uſq; ad ſolſtitium hyemale. Vere enim has plantare non procliue eſt, quòd hæc planta præcociſſime germen emittit. Gaudet autẽ calidioribus locis hæc planta, quapropter etiam inſulis magis cõuenire uidetur. Inſerenda eſt etiam amygdalus in autumno, quandoquidem uere fermè apparet. Qui uero ſurculum ex amygdalo inſiturus eſt, eum non ex ſumma arbore accipiet, ſed ex media. Plantantur autẽ amygdali etiã à ſemine & uiuiradicibus, & auulſionibus ſiue ſtolonibus. Quidã uero à ſummo arboris uertice florentiß. ramulũ acceptũ plantauerunt, eiſq́; ualde ſucceßit. Quũ igitur à ſemine amygdalum plantabimus, ſemina ipſa pro plantis accipiemus, eaq́; præmacerabimus ſtercore cũ aqua diſſoluto. Aliqui uero in hydromelite noctem unam ſemina præmacerant. Cæterum ſemen plantandum erectũ ponendũ eſt, ea parte quæ acuminata eſt in terram defixa, lignoſa uero & tenui ſurſum ſpectante. Quidã aiunt habitiorẽ fieri plantã

ferula

ferula in ſcrobem prius immerſa.

Quando amygdalæ colligendæ ſunt.

Eiuſdem. CAP. LVIII.

QVando cortex ipſarum rumpitur, eas colliges, & decoriatas muria lauabis. Hæc enim & dealbat, & ſanas ipſas facit, poſtea uero in ſole ſiccatas reponito. Si uero in paleis ipſas repoſueris, facile decorticabuntur ac corium dimittent.

Amygdalæ amaræ ut dulces fiant.

Africani. CAP. LIX.

DVlces autem facies amarulentas antea, ſi forato trunco in quadrangulo palmi parui altitudine, lacrymã quotannis effluere ſinas, donec dulceſcant. Quidam melius faciunt, & circunfodiunt ſuillum ſtercus & urinam affundentes. deinde aggeſta terra rigant ſingulis annis, donec dulces fiant. Omnis autem truncus amygdali exciſus fructum abijcit. Teneram uero & dulcem ex dura & amara facies, ſi truncum uſq; ad radices in ſuperficie exiſtentes nudaueris, & aqua calida aßidue rigaueris, antequam flores remittat.

Inſcriptæ amygdalę ut fiant. CAP. LX.

AMygdalæ teſtam induſtrie confringito, ita ut internum nucleum integrum conſerues, apertaq; teſta in nucleum quodcunq; libuerit ſcribito, rurſusq; colligatam papyro plantato, lutoq; circumlitam ac intectam, ſtercore ſuillo aggeſto obruito.

Vt amygdalus infructuoſa fructum ferat.

Eiuſdem. CAP. LXI.

STerilem amygdalum facies fructiferã, ſi radices hye-

me nudaueris. Si autem perſeuerat folia quidem ferens, fructum uero non, partem trunci iuxta terram forato, & tedæ pinguis cuneum in foramen tranſigito, humanaq; urina affuſa ita obruito.

De inſitione amygdali. Paxami. CAP. LXII.

I*Nſeritur amygdalus non iuxta ſummitatẽ ipſius trunci, ſed ex ramis iuxta medium excurrentibus, autumno finito.*

De tempore plantationis caſtanearum. Damegerontis. CAP. LXIII.

C*Aſtanea quam aliqui Iouis glandem uocant, harenoſa terra & frigidis locis gaudet. Plantatur autem & ex uiuiradicibus, & ex ſemine. Securior eſt autẽ inodus ex plantis, poſt duos enim annos fructum producet. Plantatur ab æquinoctio, non ſolum à ſcytalis & ramis, ſed etiam auulſionibus ac uiuiradicibus, quemadmodum olea. Seminantur porrò caſtaneæ non ſimiliter ut amygdalæ & nuces, ſed acuminata parte ſurſum ſpectante.*

De tẽpore plantationis nucum, & cura circa eaſdẽ habenda. Eiuſdem. CAP. LXIIII.

N*Vces plantantur tẽpore quo & amygdalæ. Plantantur autem & ſemine, & auulſionibus & ſtolonibus. Gaudent locis ſiccis & frigidis magis quàm calidioribus. Si uero à ſemine plantaturus es, melius facies ſi in uas habens urinã pueri impubis, ſemen ad dies quinq; maceraueris, & hinc plantaueris. Tenerũ corticẽ & fructũ facilem acquiret nux, ſimiliter autẽ & amygdala, ſi cinerẽ aſſidue trunco & radicibus affuderis. Citius porrò augeſcet nux arbor ſæpe tranſplantata, maxime uero ſi quis cyprij æris*

æris clauo aut palo arborem tranſigat uſq; ad medullã, deindeq; medullam terebra penetret, & paxillum ulmeũ pari magnitudine perſtringat. Si uero arborem penitus perforabit, duras & maſculas nuces facile friabiles faciet. Nucis arbor fructum non abijcit, ſi uerbaſci radicem & pãniculum coccineum detritum, & ex ſterquilinio acceptum, amuleti uice alligaueris.

De inſitione nucis. Eiuſdem. CAP. LXV.

QVidam rei ruſticæ ſcriptores, tradunt, nucem inſeri non ſolere, neque reliquas arbores reſinam habentes, & neq; ipſas aliam plãtam ſuſcipere, neq; in alias tranſponi poſſe. Verũ hoc non ita habere, experimentum ipſum ſæpenumero comprobauit. Ego enim in terminthum quam uulgus uernacula uoce terebinthũ uocat, & quæ maxime reſinam habet, ſæpe piſtacia & inſeui & ſub corticem inſoliaui, magnasq; arbores adeptus ſum, & poſſum affirmare, quòd terebinthus ſurculum piſtacij magis quàm propriã plantã ſuſcipit. Sed & nuces ſæpe cum ſucceſſu & inſeui & inſoliaui. Tametſi enim non facile coaleſcat nucis arbor, non tamen negligere oportet, ob primã offenſam. Quidam uero nucem ſic inſerunt. Poſtquam nucem ſeminauerunt, eaq; excreuit & duorum aut trium annorum facta eſt, ipſam uiuiradicem radicem tollunt, eamq; ſecundum carnem modo inſerunt, & ſic rurſus plantant. Alij anno præcedente ramum à nucis arbore eligentes, è qua inſerere uolunt, cum ipſum obuertunt & intorquent. Hoc enim ubi perpeſſa fuerit claua pleniorem medullam habebit, & raſuram facilius ſuſtinet, & inſita melius comprehendit.

Vt nuces nudæ abſq; putaminibus proueniant. Africani. CAP. LXVI.

NVces nudas ſine putaminibus facies, ſi confracta nucis teſta, internoq́; nucleo illæſo conſeruato, eijpſi lanam, aut recentia uitis ſeu platani folia circundederis, ut ne nudus exiſtẽs fructus à formicis corrodatur, & ſic plãtaueris. Idẽ in amygdala cõtingere Florẽtinus tradit, ſi cinis aſsidue trunco & radicibus circunfundatur. Imò & in reliquis fructuum generibus, quæ teſtam forinſecus habent, ſi iuxta eundem modum fuerint plantata.

Vt nux exareſcat, aut alia quæcunq; arbor. Democriti. CAP. LXVII.

IEiunus lentem manduca ſeorſim, hoc eſt ipſa grana, & poſt cõmanducationem, ſic ut in ore tuo ipſam habes, quum arbor nucis floret, quẽcunq; eius ramum morde, & areſcet. Aut clauum ignitum in radicem cuiuſcunq; arboris infige. Aut terebra perforato, & cuneum myrteum adigito. Aut circunfodito, & ad radicem deponito dictamnum, aut fabas, aut panniculum menſtruatum.

De nuce pontica tenui appellata, Didymi. CAP. LXVIII.

NVx pontica eodem itidem tempore, quo amygdalæ & nux deponitur. Gaudet locis argilloſis & multũ aquoſis. Eſt autem alia quidem ex eis rotunda, alia ſublonga. Eodem uero tempore utræq; panguntur.

De moris & quomodo ipſa alba facere poſsis. Berytij. CAP. LXIX.

SI populus alba inſeratur aut inoculetur in morum, alba mora facit. Mora ipſa in uitreo uaſe plurimo

tempore

tempore perdurant. Duobus temporibus plantantur, in autumno, & uere, & maxime à ramis quemadmodum ficus. Habitiora autem fiunt, terra ipſis circunſita aſsidue ſarculata, nõ in profundum, ſed uſq; ad ſuperficiem radicum. Mora etiam à ſemine plantari poſſunt, ſi quis ipſum morum prius diſſoluerit, & grana eius electa in terrã demiſerit ac rigauerit. Præſtat tamen plantari à claua & talea. Inſeritur autem in caſtaneam & phagum.

De diuturnitate & repoſitione mororum. Eiuſdem. CAP. LXX.

MOra in uitreo uaſe diligenter cõdita, plurimo tempore durant, proprio ipſorum iuſculo impleta, & concluſa.

De plantatione meſpili. Didymi. CAP. LXXI.

MEſpilum ſimiliter ut cotoneum malum plantatur, à nono Calendarum Aprilium die.

De plantatione ſiliquarum. Eiuſdem. CAP. LXXII.

SIliquæ ſimiliter ut oleæ plantantur, humidis tamen locis, à nona Calendarum Ianuarij die, uſque ad quartam Calendarum Februarij.

De interpretatione manifeſta uocabulorum Græcorum quorundam fructuum, tum pomorum, tum nucum generis. Democriti. CAP. LXXIII.

QVandoquidem qui de agricultura ſapiẽtiſsimi uiri, non conſuetis nobis appellationibus fructus nominant, ſed aliquando quidem nucis baſilicæ, hoc eſt regiæ mentionẽ faciunt, aliquando uero nucis ponticæ, aliquan-

do autem glandis Iouis, neceſſarium eſſe arbitror declarare, quid ſit nux regia aut pontica, & reliquas ab ipſis relatas fructuum appellationes. Nux quidē igitur regia eſt, quæ nobis ſimpliciter nux uocatur. Nux uero pontica eſt, quæ tenuis nux appellatur. Iouis glans eſt caſtanea. Coccymelū eſt, quod uocamus damaſcenū. Armenicū eſt, præcocium. Termunthus eſt, quam terebinthum uocamus.

De differentia uocum Græcarum ὀπώρας & ἀκροδρύων. Eiuſdem. CAP. LXXIIII.

Ὀπώρα fructus dicitur, qui herbidum colorem habet, ueluti ſunt Rhodacena, mala, pira, damaſcena, & quæ forinſecus nihil lignoſum habent, Latini pomum uocant. ἀκρόδρυα autem appellantur, quæ forinſecus corticem & putamen habent, uelut eſt malum granatum, piſtacia, caſtaneæ, & quæcunq; forinſecus lignoſum fructū habent. Latini ferè nuces hoc genus appellant.

De tempore modoq́ inſitionis arborum. Florentini. CAP. LXXV.

TRes ſunt modi inſitionis, & unus quidē ex eis proprie inſitio appellatur. Alter uero infoliatio. Tertius uero inoculatio. Arbores igitur craſſi corticis & humiditate refertas, quarū cortex multā humiditatē ex terra haurit, qualis eſt ficus, & ceraſus, & oleæ planta, iuxta corticem inſerere cōuenit. Oportet autem ante inſitionē paxillū ex forti ligno præparatū habere, ut eum inter corticem & lignū paulatim demittamus, ita ut infractus permaneat cortex. Hoc enim maxime obſeruare neceſſe eſt, deinde ſenſim ablato paxillo, ſurculū ſtatim adhibere. Vocatur autē hic modus infoliatio. In arboribus uero tenuis

corticis

corticis & ſiccis, nimirum quæ non in cortice, ſed intra medullã, humiditatẽ habent, qualis eſt citrium, & uitis, & quæcũq; eiuſcemodi, ipſam lignoſam partẽ mediã findũt, & ſurculos immittũt. Appellaturq́; hic modus inſitio. In utriſq; autẽ prædictis modis compendiariã inſitionẽ face= re oportet, ne ſurculus qui inſerendus eſt, dilatione facta reſiccetur. Oportet autẽ ſurculos ex generoſis, & uigo= roſis, ac fructuoſis arboribus, acutis falcibus auferre à par tibus boreã ſpectantibus, ſintq́; teneri, & leues, & denſis oculis, tria cacumina habẽtes, aut duo, ad fundũ uero uni= membres, habeãtq́; craßitudinẽ digiti parui, & ſint duo= rum annorũ: anniculi enim prompte quidẽ excurrũt, ucrũ ſunt infructuoſi. Acuantur autẽ ſurculi acuta falce ex una parte ad fundũ, quemadmodũ ſcriptoriũ calamũ exacuere ſolemus, eo uitato ut ne medullæ imminutio cõtingat. Ad= hibere autem ſurculũ oportet ea figura, ut lignoſum qui= dem ad lignũ, corticoſum uero ad corticem uergat. Sitq́; deraſus & exacutus ſurculus paris magnitudinis ad fiſſu= ram & cauitatẽ in quam eſt immittẽdus. Sit igitur deraſus ad digitos duos. Poſt inſitionẽ uero, nihil de ſurculo auſe= rendũ eſt, ſed ſinendũ ut habet. Locus autem luto infracto argilloſo integatur. Fulua enim terra ad hanc rem inepta eſt, trũcos enim exurit. In tantum uero utilis eſt inſitio, ut etiã ſi quis ipſas plantas in ſeipſas inſerat, habitiores & præſtantiores fiant. Cæterũ ſurculi deſincte luna accipiẽ di ſunt, decem aut pluribus diebus ante inſitionẽ, deponẽ= diq́; in uaſe cooperto ac probe munito, ut ne perflentur & tranſpirẽt. Oportet enim ſurculos quidẽ acceptos ad= huc concluſos eſſe: id uero quod inſitio fit, iam ad germi=

natione festinare. Quapropter oportet decẽ aut pluribus antea diebus ſurculos recipere. Cauſam uero ob quã non ſtatim ut accepti ſunt ſurculi, ipſos inſerimus, diſcere cõuenit. Si enim adhuc feruẽs & tumidus ſurculus, ſtatim in id quod eũ ſuſcipiet, immittatur, neceſſe eſt antequàm unitio fiat, parum quid de ſurculo emarceſcere, & laxationẽ fieri inter immiſſum & ſuſcipiẽs lignũ, & de cætero aër in locos intermedios cauos ingrediẽs, concretionẽ fieri non permittit. Si uero ad dies aliquot ſurculi in uaſe quopiã antea deponãtur, in ipſo uaſe ſuſtinẽt, quod paſſuri erant poſt inſitionẽ, & de cætero ubi iam inſiti ſunt, neq; amplius laxatio fit uinculorũ, neq; aër ingredietur, ſed compẽdio coaleſcet. Surculi præterea, non borea ſpirante inſerẽdi ſunt, ſed auſtro. Atq; illud quidẽ manifeſtum eſt, quòd imber inſitioni quidẽ cõmodus eſt. Infoliationi autẽ inutilis. Noſſe item expedit, quòd poſt æquinoctiũ autũnale uſq; ad ſolſtitiũ hyemale, inſitio rite fieri poteſt, itẽ poſt Fauonij flatũ, hoc eſt à ſeptima Februarij menſis, uſq; ad ſolſtitiũ uernũ. Quidã uero optimũ tẽpus inſitionis eſſe aiũt, ſtatim poſt caniculæ ortũ, & rurſus in æſtate poſt ſub caniculares æſtus. At uero ſi ex longinqua aliqua diſtantia locorum afferãtur ſurculi, portentur ſane in uaſe aliquo in lutũ infixi, ipſumq; uas diligenter oblinatur, ne perflentur & tranſpirent dum apportãtur.

De infoliatione, & inſitione, & quæ arbores ac quæ plantę ad infoliationẽ & inſitionẽ aptæ ſunt. Diophanis. CAP. LXXVI.

FIcus inſeritur in morum & in platanũ. Morus inſeritur in caſtaneã, & phagum, & malum, & terebinthum

binthum & piraſtrũ, & ulmum, & populum albã, à qua mora alba redduntur. Pirus inſeritur in punicas & cotoneã malum, & morum, & amygdalum, & in terebinthum. Inſita in morum pirus, rubicũda pira producet.

Mala inſerũtur in omnem piraſtrũ, & cotoneã, fiuntq; pulcherrima mala, quæ Athenis Melimela appellãtur. Amplius & in Damaſcenũ ac uiciſsim, & in platanum, à qua rubicunda euadunt mala. Nux in arbutum ſolum inſeritur. Mala punica in ſalicem inſeruntur. Laurus in malũ inſeritur. Rhodacinon in Damaſcenũ inſoliatur, & in amygdalum. Damaſcena in omnem piraſtrũ inſeruntur, & in cotoneam, & in malum. Caſtanea inſeritur in nucem arborem, quercumq; ac phagum. Ceraſus inſeritur in terebinthũ, in perſicum, & uice uerſa. Cotonea inſerũtur in oxyacanthã. Myrtus inſeritur in ſalicẽ. Præcociũ inſeritur in damaſcenũ & in Thaſiã arborẽ. Citriũ uix ſuſcipit inſoliationẽ, utpote tenuis corticis. Inſeritur autẽ ex propria plãta, & de malo, quod ſæpe feci, & poſtq̃ enatũ fuit, emarcuit. Loquor autẽ de fructu, qui ubi cõprehẽderit arbor, citromalũ appellatur.

Si uero quis ipſum citriũ in morum inſerat, rubicunda citra producet. Cydonia & caprificus omnẽ arborẽ ſuſcipiũt, quãcunq; ergo uoles in hæc inſerito, aut etiã inſoliato. Citriũ recte inſeritur in punicã, uelut Didymus in georgicis ſuis prodit. Florentinus autẽ in georgicis ſuis tradit uitẽ in ceraſum rite inſeri, & in uere uuas ꝓferre.

Item oleam in uitem inſitã, fructũ ferre eleoſtaphylon, hoc eſt oleuuã appellatũ. Myrapia uero cõmode in mala inſoliãtur, quod ipſum experientia magiſtra cõdidici.

De tempore & modo inoculationis. Didymi. CAP. LXXVII.

INoculatio ante ſolſtitiũ æſtiuum cõmode & oportune perficitur. Ego uero circa æquinoctium uernum in die ſerena, quũ in principio germinationis eſſent arbores, inoculaui, & uehemẽter ſucceßit. Purgãda eſt arbor in quã inoculatio fit à ſobole, hoc eſt propaginibus & coma. relictis perfectioribus & adultioribus ramis in quos inſoliaturus eris. deinde accipiẽda arboris fructuoſæ progenies & anniculũ germen, ex eoq́; oculus inſerendus iuxta exactam ſcalpturã præparati trunci. Ipſum autẽ corticẽ purũ exacte excoriare oportet. Lignoſum uero integrum & intactũ ſinere ac ſeruare. Hoc enim ualde neceſſarium habetur. Præſtat autem oculum qui eſt in immittẽdo germine, in oculum qui eſt in trunco incidere. In ipſum enim poſitus, omnino coaleſcit. Licet etiam citra oculum in alteram trunci partẽ in loco leui inſoliationẽ facere. Oportet autem & cortices utrorũq; truncorũ æqualis craßitudinis eſſe. Facta autem cõcretione, ſtatim quod ſupra com miſſurã eſt reſcindo, ne in hoc ipſum alimentum cedat, ſed in id quod eſt coaptatũ. At uero ubi ſurculi inſiti tria folia adepti fuerint, uincula diſſoluta auferantur. Ego uero ſæpenumero nõ ipſum oculum ex anniculo germine accep tũ, ipſum per ſeipſum inſoliaui, ſed relicto oculo in ipſo germine illæſo ex parte retro oculũ ſita corticẽ deraſi, & conſpicua ligni parte, quemadmodũ in calamo ſcriptorio fieri ſolet, ſculpta, ſic oculũ cũ parte ligni reſidua inſoliaui, & generoſiorẽ ex huiuſcemodi inſitione arborẽ adeptus ſum. Cæterũ ſi ſiniſtræ ramorũ partes inoculationẽ

ſuſcep

ſuſceperint, duplum fructum producent.

Quando arbores purgandæ.

Leontij. CAP. LXXVIII.

P*Oſt collectos fructus ſtatim & magnas & paruas arbores purgare oportet, tum quæ poma, tum quæ nuces ferunt, omni uitioſo & ſuperfluo acutiſſimis falcibus amputato. In nouellis plantis non amplius uno ramulo relinquendum eſt. Auferendæ uero etiam truncorum propagines, ut leuis ſit & rectus, in uertice habens tres aut quatuor nouellos ramulos illæſos inter ſe diſtantes. Sic enim formanda eſt planta, dum tenera exiſtit.*

Ad arbores ſyderatas.

Democriti. CAP. LXXIX.

Syderatæ arbores unguento rigatæ reuiuiſcent.

Vt uolatilia arborem non impetant.

Eiuſdem. CAP. LXXX.

F*Alcem putatoriam allio illine, aut allium in arborem ſuſpende.*

De cura plantarum. CAP. LXXXI.

P*Lantæ quæ in autumno plantantur, ſinēdæ ſunt uſq; ad uer nulla ipſarum commotione facta. Adueniente uere, ligonibus quater fodere conuenit. Quæ uero in uere plātatæ ſunt, tunc fodere ordiri oportet, ubi cōprehendiſſe uidētur. Idem etiam in tranſplantatis facere oportet. Primo anno etiā rigare plātas cōuenit per æſtatē, ſuperflua autē auferēda ſunt, nō ferro, ſed manibus, ſi delicatiora fuerint, & facile cedere poſſint. Si uero non, melius eſt ut relinquantur, quàm ut ferrum admoueatur plantis adhuc nouellis exiſtentibus. Obturpeſcunt enim ex forti cōtactu.*

tactu. Oportet etiam palos iuxta depangere, in quibus plantæ requieſcant. Stercoratio fructuoſarum arborum facienda eſt Ianuario menſe, non ſtatim ad radices. Id enim nimium uehementer calfacit.

Vt omnes arbores plus fructus ferant. Africani. CAP. LXXXII.

Portulacam & tithymalum probe contuſa & mixta truncis oblinito. Omnes autem arbores copioſiorem fructum ferent, ſi radices ipſarũ columbino fimo illeueris.

Vt arbor ſterilis fructum ferat. Zoroaſtræ. CAP. LXXXIII.

Svccinctus & crine in nodum obtorto, arreptaq; bipenni, aut aſcia, cum indignatione ad arborẽ accedito, eam exciſurus. Obuiã autẽ ueniente tibi quopiã, eiuſq; exciſionem deprecante, & tanquã futuri fructus fideiuſſore, uidearis perſuaſus eſſe, & eius cauſa arbori parcere, & de cætero abunde fructum dabit. Sed & paleæ fabaceæ trunco circumiectæ, arborem fructuoſam efficiunt.

Arborum cura quæ omnem ipſarum noxam ſanat. Paxami. CAP. LXXXIIII.

Vnicuiq; arbori propria quædã cura ſeorſim conuenit. Eam uero quæ omnibus ſimul generatim congruit arboribus nõ relinquã, ſed in mediũ palàm proponam. Si igitur ſanas & habitiores manere arbores uelis, urina ueteri uirili aut pecoris circũfoſſas radices rigato, ſimulq; ipſum truncũ. Si uero pluuiæ deficiãt, etiã aqua rigabis. Idẽ facit amurca ex æquo aqua tẽperata, & unicuiq; arbori affuſa. Quidã plãtantes taurino felle radices linunt, & quæ ſic plãtata ſunt, illæſa manẽt. Quidã ſucco herbæ

herbæ polypremnæ appellatæ, plantarum truncos illeue-runt,eosq́; illæſos cõſeruarũt, & plurimũ fructũ abſtule-runt. In uniuerſum omnes arbores iuuãtur paleis fabarũ, aut aliorum leguminum, aut frumentacei generis, ſiccis ipſis arboribus circumpoſitis, quemadmodum Didymus *in georgicis ſuis tradit.*

Quomodo magnas & fructuoſas arbores trãſplantare poſsis. Anatolij. CAP. LXXXV.

VAlde profundas ſcrobes facere oportet, & reſecta ipſarũ coma, craßiores rami illæſi, & radices inte-græ cõſeruẽtur,trũci uero cũ multa terra propria et ſter-core,recti in ſcrobes mittãtur, animaduerſione habita, ut quo inclinãt,maneãt:apponãtur autẽ utrinq; fictilia duo perforata,ut per ea uaſa radices aßidue rigẽtur. Obditur his operculũ ea gratia,ut foramina nõ obturẽtur. Ipſa trãſ plãtatio opportune fit ante pleiadũ occaſum. Cæterũ in plãtando arbor ueterẽ figurã ad ortũ & occaſum ſeruet.

Quomodo ex longinqua locorum diſtan-tia apportata ſemina,plantæ fiant. Pamphili. CAP. LXXXVI.

QVandoquidẽ plãtæ ex longinquo allatæ ſæpe mar ceſcunt, oportet ex ſeminibus trãsferre hoc modo. Quũ in trunco maturus factus fuerit fructus,eum acceptũ cinere cõſpergũt,deinde in umbra ſiccãt,et poſtea ſcrobe facta fructũ immittũt, eumq́; quotidie rigãt,donec germẽ erũpat.& poſtquã duorũ aut triũ annorũ fuerit,transfe-runt unà cum radicibus,& obruũt,acumina tantũ ſuper terrã extare ſinentes. Videtur autẽ quibuſdã uilis eſſe ſe-minũ plãtatio. Verum quod noſſe cõuenit hoc eſt. Omne

ſemen

ſemen ſimile genus perficit, præter oleã. Oleaſtrum enim generat, hoc eſt ſylueſtrem oleam, & non oleam ueram.

Vt arbores non abijciant fructum.

Sotionis. CAP. LXXXVII.

Lolium quod zizaniorum nomine uenit, & in frumento reperitur, euulſum ſimul cum radicibus plurimum è terra, quando iam pingueſcere incipit, & in coronæ figuram formatum, ſi trunco arboris circundetur, & fructum arbor producit, ac perficit, eumq́; non abijcit. Herba appellata uerbaſcum, nuci arbori circumligata, nõ permittet ipſam abijcere fructum. Si cancer, hoc eſt pagurus, trunco circumligetur: ſimiliterq́;, ſi trũcum plumbo amplexus fueris, ueluti corona, plantæ fructum non abijciẽt. Item ſi radicem circũfoderis, & perforaueris, & cuneũ ex corno immiſeris, terramq́; aggeſſeris. Quidam nudatis radicibus, craßißimas ex ipſis & maximas diffundunt, & in fiſſuram duri lapidis, ſilicis uidelicet fragmẽtum immittunt, deinde obligant, terrâq́; accumulata rurſus obruunt. Didymus in Georgicis ſuis ait etiam Homericum uerſum inſcriptum continere fructum,

Χάλκεω δ' ἐν κεράμω δέδετο τρισκαίδε
κα μῆνας. hoc eſt:

Menſibus æream erat cupam denis tribus intra.

Cõtinet fructũ etiã lapis perforatus ſpõte naturæ, repertus & in arboris ramũ iniectus. Similiter cohibẽt fructũ, ſi ſcripſeris, & arbori alligaueris hæc uerba: Et erit ſicut lignũ quod plantatũ eſt iuxta decurſus aquarũ, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet. Polium item herba ſuſpenſa fructum continet.

Cura

Cura arborũ flores abijcientiũ, aut quibus folia dilabũtur. Quintiliorũ. CAP. LXXXVIII.

QVæcunq; arbores florem abijciunt, aut folia deflua habent, ſic curabis. Circumfoßis radicibus palearum fabacearum aqua temperatarum, magnæ quidem arbori octo congiorum menſuram, paruæ uero non minus quàm duos congios circumijce. Sic enim ægrotantes curabuntur, & de cætero à morbo liberæ erunt.

Vt plantæ & ſemina à iumentis & pecoribus nõ lædantur, Phyſicum Democriti experientia conſtans. CAP. LXXXIX.

CAncros, hoc eſt paguros, fluuiales aut marinos, non pauciores quàm decem in aquam coniectos ad dies octo ſinito, & cõcluſos ſub dio exponito, ut ad dies decẽ inſolẽtur, et ex aqua inſtillato ſuper ea quæ illæſa manere uelis ad dies octo. & admiraberis efficaciã. Idẽ facit caninum ſtercus urina putridißima ammixta & circunſperſa.

Vt neq; arbores, neq; uites à uermibus, aut alio quopiã lædantur. Florentini. CAP. XC.

RVbricam Lemniam & origanum cum aqua terito, indeq; radices illinito, & ſcillam in circuitu plantato. Si uero piceos paxillos in ambitu arborum defixeris, uermes corrumpentur. Omni arbori ſtercus ſuillum uino dilutum iniectum, ipſam à uermibus illæſam conſeruat, quemadmodum Didymus in Georgicis ſuis tradit. Idem ait, Si radices taurino felle obleueris, arbor neque cito ſeneſcet, neque uermes producet. Arbores à uermibus non infeſtabuntur, ſi denudatis radicibus, columbinum fimum circum circa induxeris.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA, LIB. XI.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui undecimus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & cõtinet arbores coronarias, & quæ folium perpetuò habent, & plantationem roſarum, & liliorum, & uiolarum, & reliquorum florum odoratorum.*

Quot & quales arbores ſemper uirent, & neq; hyeme folia abijciunt. CAP. I.

A*Rbores ſemper uirides, & neq; hyeme folia deflua habentes, ſunt quatuor & decem.* Palma, *citrium, lentiſcus, laurus, olea, cupreſſus, ſiliqua, pinus, ilex, buxus, myrtus, cedrus, ſalix, & iuniperus.*

Hiſtoria de olea. CAP. II.

H*Iſtoriam de olea libro nono, capite primo, expoſuimus.*

Hiſtoria de lauro. CAP. III.

D*Aphne* Ladonis *fluuij filia fuit pulcherrima.* Huius *amore percitus* Apollo, *eam ut dilectam inſequebatur.* Quum *igitur apprehẽderetur: ipſa à deo, ſupplicaſſe fertur matri terræ, & ab hac ſuſcepta eſſe.* Quum *autem ſtatim pro ipſa arborem redderet,* Apollo *ea conſpecta, obſtupuit, & arborem quidem à uirgine, daphnen, hoc eſt laurum, æquiuoce appellauit.* Ramo *uero à planta accepto, ſibi coronam inde fecit, & ex eo tempore* Vaticina*tionis ſignũ arbor fuit: & quod non minus cõueniens eſt,*

puell

puellam quoq; Sophronem,hoc eſt,ſobrietatem,nominant. Vaticinatio enim ex ſobrietate prouenit, & hanc ueteres Apollini conſecrauerunt, quòd igne plena ſit planta, & ipſe Apollo ignis. Eſt enim ſol. Vnde etiã dæmonibus aduerſatur,& ubi laurus fuerit,inde dæmones recedunt. Sed & in uaticinijs ea accenſa, prophetiæ aßiſtentiam inueniſſe uidentur. Dicunt inſuper & hoc de lauro, quòd ſanitatem uidelicet efficiat,unde etiam folia ipſius magiſtratibus à populo prima Ianuarij menſis, id eſt,calendis,porrigebantur, itemq; caricæ. Neque enim morbus ſacer,aut dæmon locum infeſtat in quo laurus eſt,quemadmodũ neq; fulmen ubi eadem. Sed & palatium daphne,id eſt,laurus, appellatũ eſt,denominatione à Daphne Romana deducta. ferunt enim Latinũ Telegoni quidem fratrẽ, Circes autẽ filium, Aeneæ uerò ſocerum, dum arcem extrueret ante Aeneæ aduentũ, iſtic laurũ reperiſſe. Appellauerunt autẽ ueteres,regum tabernacula,ac manſiones acropolcis, quæ Latini arces, propterea quòd ſecuritatis gratia,in ſupremis urbium partibus extruerentur.

De tranſitione lauri,& ſatione,& tranſplantatione. CAP. IIII.

QVintilius laurus in ſeipſas inſeri tradit, & in ſorba, & fraxinos. Diophanes ſemen lauri circa calendas decembres colligi dicit,ſeminari autem poſt idus Martias. Transfertur autem per ſtolones menſe Octobri, & deplantatur. Boni genij plantam laurum Romani uocant,& commodam ad uitium ſepes.

Hiſtoria de cupreſſo. CAP. V.

CVpreßi duplex nomen habent, & Charites,hoc eſt,

Gratiæ, appellantur ad delectationem. Cupreßi uerò, ſiue ut Græci rectius appellant Cyparißi, quòd ferè pariles geſtent & producãt tum ramos, tum fructus. Eteoclis filiæ hæ fuere. Saltantes autem ad æmulationẽ dearum, in puteum extra choream euolutæ, delapſæ ſunt. Verum terra cladẽ ipſarũ miſerata, plantas uirides puellis ſimiles produxit, iucunditatẽ hominibus & memoriã ipſarũ inducens.

De plantatione cupreſſi. Didymi. CAP. VI.

CVpreßi ſemẽ colligitur quidẽ poſt Calendas ſeptembres: ſeritur autem in ſulcos, à nona Calendarũ Nouembrium uſq; ad hyemem. Vnà autem cum cypariſſorũ ſatu, etiam hordeum rarum ſeminato, et ſæpe eodem anno cupreſſus plena longitudine augeſcit. Tantũ enim creſcit quantum hordeum ipſum, & tranſplantabis eam. Sed & ſtolones ſua ſponte producti, qui fiunt ex iactis ſeminibus cupreßi, eodem modo transferuntur. Democritus intra ſepem ac muros plantari debere cupreſſum tradit, ut ad delectationem, & ad ſepimentũ totius ædificij, ac quaſi munimentum naſcatur. Gaudet autem humidis magis & opacis ac protectis locis. Cupreſſus mas ſterilis eſt.

Hiſtoria de myrto. CAP. VII.

MYrſine puella erat Attica, pulchritudine omnes puellas antecedens, fortitudine omnes iuuenes, Mineruæ autem deæ grata erat, diuerſabaturq; in palæſtris & ſtadijs, & iuuenes certantes ac uincentes coronabat. Quidam uerò uicti ac ſuperati, puellæ indignati, ipſam ex inuidia occiderunt. Nec tamẽ Mineruæ amorẽ erga puellam extinxerũt, ſed adhuc deæ dilecta manet myrſine, hoc eſt myrtus, quemadmodum etiam olea, & permutata uita,

pro

pro oliuis baccas ſuas fructificat.

De plantatione myrti. Didymi. CAP. VIII.

MYrtum in ſummis regionis partibus plantare præſtat, multam enim odoris iucunditatẽ loco inducit. Plantant ipſam alij à propaginibus, uiuiradices plantas accipientes. Alij generoſiſsimũ ramum à ſumma parte accipientes, pangunt ipſum rectũ, ſolidũ, terra unà cũ ſtercore aggeſta, & uſq; ad enatos ipſius ramulos terrã accumulant. Alij ſcytalas cubitali longitudine, craßitudine manus, in ſcrobes imponunt, & obliquas obruunt ſimiliter ut oleam. Alij accepto recenti ſemine, ex eoq́; confricta tomice ſiue catena de butomo cõplicata, in ſcrobem ſic mittunt. Alij melius fructũ ferre arbitrantur, ſi in caput plantentur. Gaudet autem aßidua circumpurgatione, & euadit ita rectum in altũ excitatum ac exurgens, & tum ad textilia uaſa, tum ad iacula ac ſpicula aptitudinem habet. Riganda autẽ eſt urina hominis, maxime uerò ouilla, hac enim ualde delectatur. Fructum ſine nucleis fert aquis calidis rigata. Inſeritur in ſuum genus, & alba in nigram, ac uice uerſa, & in Iſochnen, & malum, et meſpilum, & punicam. Si uerò iuxta ipſam plantentur roſæ, ambæ florentes fient, & generoſiſsimum fructum ferent.

De baccarum myrti diuturnitate. Eiuſdem. CAP. IX.

MYrti baccæ in uaſa nõ picata coniectæ et coopertæ, ad multũ tempus uirides habebuntur. Alij unà cum ramulis ipſas componere præſtabilius putant.

De buxo. Eiuſdem. CAP. X.

BVxus plantatur ex auulſionibus, & clauis, & ramis,

depoſitis in plantario poſt Idus Nouemb. Gaudet autem humidis locis ſemper uiride exiſtens.

De pinu hiſtoria. CAP. XI.

PInus puella prius erat, & mutationem naturæ exacte duplicis aſſumpſit. Amabat enim puellam Pan, Amabat eandem etiam Boreas. Quum autem uterque puellam alliceret, ipſa Panis amore magis afficiebatur, & ob hanc rem Boreas æmulatione motus, puellam in petras impulit, ac neci tradidit. Terra porrò miſerta cladem, plãtam puellæ cognominẽ reddidit ac produxit. et permutata uita erga eoſdem priores affectus ſeruat, et Pana quidem germine ſuo coronat. Flet autem & lacrymatur arbor, ubi Boream afflantem percipit.

De plantatione Pinus. CAP. XII.

STrobili, id eſt, pineæ nuces ſimiliter ut amygdalæ plantantur, menſe octobri uſq; ad Ianuarium, legũtur autẽ Iunio, antequàm Eteſiæ ſpirare incipiant, & grana excidant, calice ſiue tegmine ipſarum rupto.

De lentiſco. CAP. XIII.

LEntiſcus gaudet quidem humidis locis, plantatur autem à Calend. Ianuarij. Aiunt enim ter fructum ferre, & ſiquidem primus fructus bonus fiat, primam ſeminationem probe fructum allaturam portendit. Similis ſignificatio etiam aliorum exiſtit.

De ſalice. CAP. XIIII.

SAlix cœnoſa & aquoſa terra gaudet, aëre autem humido & frigido. Plantatur Februario menſe, ex claua & taleis. Quemadmodum autẽ Democritus ait, Qui fructus ſalicis appellatur, pabulo pecorũ ammixtus ipſa pinguefacit

gueſacit. Tritus autem & in potu acceptus ab homine ſte=riles reddit, ex quo & Homerus ait,

Κλεῦτροις αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Id eſt,

Et populi & ſalices plantæ fructum perimentes.

De Ilice. CAP. XV.

ILicem ante Calendas Martias plantare oportet. Aiunt autem ſi ilex fructum multum ferat, fructuoſum annum futurum portendere.

De dendrolibano hiſtoria. CAP. XVI.

LIbanus Syrum nomen eſt, & de monte, & de planta. Adoleſcentulus autem prius erat deorū cultui deditus, quapropter impij homines æmulatione ducti, ipſum occi=derunt. Verum terra in honorem deorum plantam pro=duxit, quæ occiſum cognomine refert, & mutata natura, amore tamen deorum non eſt priuatus. Magis enim dele=ctantur dij ſi quis ipſos dendrolibani ramo coronet, quàm ſi aurum aris conſecret.

De plantatione dendrolibani. CAP. XVII.

DEndrolibanum ex uiuiradicibus, & auulſionibus plantari aiunt, depoſitam in terram, & translatam: iucundum & grauem odorem habet, uelut Democri=tus teſtatur, & animo defectis auxiliatur, depangitur au=tem Martio menſe.

Hiſtoria de roſa. CAP. XVIII.

QVi roſæ pulchritudinem miratur, ei Veneris pla=gam conſiderandū eſſe aiunt. Amabat enim Ado=nidem dea, Amabat autē & Venerē ipſam Mars. Aemu=latione igitur accenſus Mars, Adonidem ſuſtulit, ſolutio=nem amoris mortem Adonidis fore arbitratus. Quum autē

factum cognouiſſet dea, ſe de Marte ulciſci ſtatuit, & de induſtria in roſas irruens diſcalceata, ad ipſius roſæ ſpinas plantam pedis impegit, & quum alba prius eſſet roſa ex cruore qui à ſaucia Venere deſtillauit, in eum qui nũc in ipſa cernitur colorem tranſijt, ex eóq; tempore amplius & gratia & odoris iucunditas ei acceßit. Alij aiunt, quũ in cœlo dij conuiuarentur, & nectar multum adſtaret, Amorem choream duxiſſe ac tripudiaſſe, & cum ala crateris fulcrum concußiſſe, eumq; euertiſſe. Atq; ſic Nectar in terram effuſum roſæ florem rubicundum reddidiſſe.

De roſis, & quomodo odoratiores fieri poſſunt, & ut non deficiant.

Didymi. CAP. XIX.

SI *allium iuxta roſas plantaueris, odoratiores erunt. Si autem indeſinenter roſas habere uelis, eas ſingulis menſibus plantato ac ſtercorato, & ſemper habebis. Cæterum roſæ uariẽ plantantur. Alij enim uiuiradices integras tranſplantant. Alij extractas unà cum radicibus, in palmares magnitudines, hoc eſt, altitudinis quatuor digitorum, cõcidunt tum ipſas radices, tum quicquid ex eis eſt enatum. & omnia ſegmenta plantant, cubiti ſpacio inter ſe diſtantia. Quidam coronas odoris gratia plicatas plantant. Noſſe autem conuenit, quòd roſæ in locis ſiccis prouenientes, quemadmodũ etiam lilia, odoratiores exiſtunt. Roſæ præcoces fiunt, tum in cophinis, tũ in fictilibus plantatæ, ſi eadẽ cura digneris eas quali cucurbitas et cucumeres tractare ſolemus. Si uerò uelis eas quæ iam plantatæ ſunt, præcocẽ fructũ ferre, duorum palmorum paruorum ſpacio à planta foſſurã in gyrum facito, & aquã calidam*

bis in

bis in die infundito. At uerò ros qui in roſis reperitur, pure cū pēna collectus, & per ſpecillū palpebris infuſus, lippitudini medetur. Cōſeruabis roſas recētes & in uigore, ſi ipſas in amurcā immiſeris, ita ut liquor eis ſupernatet. Alij herbidā adhuc hordei ſegetē unà cū radicibus auulſam, in dolium nō picatū mittunt, & roſas cōcluſas adhuc imponunt, teguntq; ac cōſeruant. Alij uiride hordeum in pauimentū conſternūt & roſas ſuper inijciunt. Democritus ait ſi roſa in ætate media bis per diem rigetur, Ianuario mēſe fructū ferre. Florentinus autē tradit roſam in corticē mali inſeri & inòculari poſſe, & tempore malorū roſas naſci. Zoroaſtres dicit per integrū annū oculos nō doliturum, qui primus uiderit calyces in planta concluſos, & ex tribus ipſorū oculos cōfricuerit, roſis ipſis in planta relictis. Quidam roſas conſeruant recentes, calycibus in uiridem plantatam harundinē fiſſam immiſsis, & harundine leniter per papyrum obligata, ut perſpirare poſsit. Roſas dum aperiri incipiūt, ſulphure ſuffumigabis & eueſtigio albas habebis. Si ex paucis plantas plures facere uelis, ſarmenta ipſarum diuide, & ſegmenta quatuor digitorum ac paulò maiora pange: quum autem annicula facta fuerint, tranſplanta, pedis ſpatio in medio relicto. atque ita excole diligenter fodiendo, omnemq́; ſyluam ac materiem eruendo. Certo autem perſuaſus ſum diuiniore natura roſas participare. Nam & unguentum non malum componunt, & dolentibus oculis ſunt auxiliares.

De lilio Hiſtoria. CAP. XX.

QVum Iupiter Herculem ex Alcumena genuiſſet, eſſetq; mortalis ea gratia Hercules, immortalitatis

participem facere cupiebat, et propterea ipſum adhuc infantẽ Iunonis uberibus dormiẽtis admouit. Infans itaq; lacte ſatur, os à papilla amouit, lac tamẽ nihilominus ubertim fluebat, etiam puero amoto, & quicquid eius in cœlo diffuſum eſt, lacteum circulum, galaxian Græcis appellatum efficit: quod uerò in terram dilapſum eſt, eiusq; glebas tinxit, id ipſum florem lilij produxit, quod ſimilitudine lactis colorem exprimit.

De lilijs. Anatolij. CAP XXI.

SI lilia purpurea facere uelis, dum florent, cauliculos ipſorum acceptos decem aut duodecim ſimul colligato, & ſuper fumum ſuſpendito, remittunt enim ex caulibus radiculas paruas ſimilitudine bulbulorum. Vbi igitur plantandi tempus affuerit, cauliculos ipſos in fecem uini nigri immiſſos macerato, donec purpurea et probe tincta apparuerint tibi ipſa diſtrahenti. Deinde hoc modo plantato ſingulis fece ſufficiente affuſa, atq; ſic lilia inde producta, purpurea florebunt. At uerò lilia per totum annum recentia permanebunt hoc modo. Auferunt ipſa unà cũ ramulis nondum aperta, ſed adhuc cõcluſa, imponuntq; in uaſa fictilia noua non picata, deinde uaſa cooperta reponunt, atq; ſic recentia totũ annum durant. Si quando autẽ medio tempore quis eis uti uelit, in ſole exponat, quo concalfacta aperiantur. Quo uerò alio atq; alio tempore lilia florem producant, dum bulbos ipſorum plantas, alios in altitudinem digitorum duodecim, alios octo, alios quatuor deponito, & diu lilia habebis. Idem etiam in alijs floribus facere licet. Florentinus rubrum lilium futurum ait, ſi quis intra cortices cinnabari fundat, cauendo ne

bulbos

bulbos ſauciet. Si uero etiam alio colore quis ipſa oblinat, cuiuſq; coloris uoluerit lilia gignentur.

De Iride. Leontij. CAP. XXII.

I*Ris Illyrica parua & tenuiſsima plantatur ex recentibus plantis Ianuario uſq; ad Aprilem menſem.*

De uiola Hiſtoria. CAP. XXIII.

V*Iola flos natus eſt ex ea unde nomen habet, apud Græcos enim Ion appellatur. Etenim Iupiter Io puellam amauit, & ex amore coiuit, & ut Iunonem res lateret, unde cognoſci potuit, naturæ tranſmutationem fecit. Deprehenſus enim Iupiter, & factum celare cupiens, hominem in buculam tranſmutauit. Terra uero in honorem dilectæ Iouis florem protulit, qui iuuenculæ pabulum eſſet, & ſane flos propter ipſam factus, ex ipſa nomen tulit. Fortunam porrò puellæ flos ipſe coloribus ſuis oſtendit. Rubeſcit enim ueluti uirgo, purpuraſcit autem uelut bucula, & albeſcit, in ſignificationem quòd puella in aſtra eſt tranſmutata, & quæcunque germen oſtendit, ea in muliere fuerunt.*

De plantatione uiolarum.

Tarentini. CAP. XXIIII.

V*Iolæ purpureæ, & aliæ omnes, tum auricolores, tum ruſſei coloris, poſt Idus Martias plantatur, & poſt Calend. Maias. Eſt autem folium uiolæ refrigerans, & inflammationibus commodum. Oleum autem uiolarum febricitantibus illitum eos refrigerat. Similiter etiam uiola alba in ſulcis ſeritur, & Ianuario transplantatur, uſque ad ſeptimum Iduum Februarij.*

De Narciſſo hiſtoria. CAP. XXV.

p 5 Inopinati

INopinati affectus magis inopinatus rumor extat. Narciſſus enim domeſtico ſuiipſius amore flagrans, domi & ex ſeſe periit. Erat enim pulchritudine corporis excellenti, unde etiam amorem & deſiderium ſui adeptus eſt. Fontem etenim aliquando uelut potaturus inde occupauit, ſpectator autem propriæ formæ conſiſtens, ipſe ſeipſum amore ſui corrupit. Ad fontem itaq; ſubinde progreſſus, umbram ſuam uelut amator dilexit, ſuperatus autem ab amore, & ſeipſum in aquis apprehendere tentans, terrã inſuper amiſit, atq; ſic affectus refrigerium quærens, uitæ priuationem inuenit, tantum ſanè lucri morte ſua adeptus, quantum in florem mutatus eſt, qui nomine ſuo illius memoriam affert & conſeruat.

De plantatione Narciſsi.

Didymi. CAP. XXVI.

NArciſſus uiuiradicibus plantatur germen fundere incipiens Martio menſe, & tranſplantantur. Flos eius frigidiſsimus exiſtit.

De croci plantatione.

Florentini. CAP. XXVII.

CRocus uiuiradicibus plantatur, quum florem abiecerit. Florem autem prius remittit quàm folium. Flos colligitur ubi bonum colorem indeptus fuerit, cuſpidibus ex medio flore extractis, & ad triduum aut quatriduum perfrigeratis ac ſiccatis: deinde ſumma eius pars purgatur, & album quidem adimitur. Componitur in uaſis quantum fieri poteſt obturatis. Diophanes in umbra crocum perfrigerandum ac aſiccandum eſſe tradit.

De Sam

De Sampſucho, coſto, & balſamo. CAP. XXVIII.

SAmpſuchum ex ſemine ſeritur, & tranſplantatur Aprili & Maio, iucundum odorem habens & calidiſsimum. Similiter etiam coſtus & balſamus uiuiradicibus plantantur, Nouembri menſe, ambo odoris fragrantiam habentia.

De Miſodulo ſiue ocymo. CAP. XXIX.

OCymum hoc eſt Miſodulum appellatum, nullius utilitatis eſſe noui. Nam inſanos & lethargicos, & hepaticos facit qui eo ueſcũtur. Signum autem eius malignitatis eſt, quòd capra omnia depaſcens, à ſolo ocymo abſtinet. Manſum autẽ & in ſole expoſitum, ſcorpios gignit. Maxime autem mulieribus infeſtum exiſtit, tantam habens aduerſus ipſas naturalem contrarietatem, ut ſi quis ignorante muliere, ſub patinam obſonij integrum cum radice ocymum ſupponat, mulier non prius obſonium contingere audeat, quàm ocymum auferatur.

De hedera hiſtoria. CAP. XXX.

HEdera flos id eſt Ciſſus adoleſcens antea fuit, et Bacchi ſaltator, qui quum coram deo tripudiaret, ad terram prolapſus eſt, & interijt. Terra autem in honorem Bacchi, florem produxit adoleſcenti cognominem, & iuuenis germina in plantæ germine conſeruauit, quod ubi ex terra progreſſum eſt, uitem amplecti ſolet, eo modo quo adoleſcens Bacchum in tripudijs amplecti, eiq; circumplicari conſueuerat.

De plantatione hederæ. CAP. XXXI.

HEdera aqua gaudet, plantatur autem ante Calendas

das Nouembres, & à Calendis Martijs. Corymbum hedera habebit decorum, ſi quis tribus conchylijs uſtis & contuſis, cinerem adſpergat, aut alumine corymbos irroret. Alba uero ex nigra ſit, terra alba macerata, & hederæ radicibus infuſa, per dies octonos. Damageron ait, ſi quis hæderæ nigræ corymbos tres in linteolum purum mittat, & filo obligatos, ſplenico ad triduum alliget, ab affectu liberatum iri eum cui ſint alligati.

CONSTANTINI

CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XII.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui duodecimus eſt ſelectarum præceptionum de agricultura, & continet olerum diuerſorum ſationẽ, & quæ ſingulis menſibus plantare & ſerere oportet, & hortorum conſtructionem mirabilem, & olerum utiles actiones atq; affectus.*

Notitia quid ſingulis menſibus ſerendum ſit, & quid plantandum iuxta Clima Conſtantinopolis. CAP. I.

MEnſe Ianuario *ſeritur braßica marina, cum atriplice, & fœno Græco. Februario menſe ſeritur Codimeuton cum porro, & cepulæ, beta, daucus, beta radicata, thymbra, marulia diuerſa, hoc eſt dicardion, phrygiaticõ, Rhigitanum, & braßica alba, & crambaſparagos, & coriandrum, & Anethum, & ruta. Tranſplantatur autẽ marulium, picris, lactuca, phrygiaticon, polyclonum, & comodianum*

modianum. Menſe Martio ſeritur beta, enthadion, & atriplex, & dicardion, marulion, ac rhigitanum. Tranſplantatur marulion, picridion, phrygiaticon, polyclonon. Aprili ſeritur in uimen ſeutlomolochon, & atriplex, & dicardion cum Rhigitano. Tranſplãtatur autem à Martio & Aprili mẽſe, braßica alba, ſimuliter crãbaſparagos, & braſſica marina, & Marulion cum rhigitano, & ſolum. Menſe Maio ſeminatur ſeutlomolochon, & atriplex ſimul & ſeorſim, & Rhigitanon. Tranſplantatur ſeutlomolochon, & Marulion. Menſe Iunio ſeritur ſeutlomolochon. Similiter & dicardion, & tenue porrum tranſplantatur circa cœnum in humidum locũ. Similiter & beta, & molochion & Marulion. Iulio menſe ſeritur Intybum, & ſeutlomolochon, plantatur porrum in terra ſicca, & ſtatim rigatur, ut ne ſtimulum radicula eius faciat. Tranſplãtatur autem Marulium neceſſarium. Tranſplantatur & intybum & ſeutlomolochon, beta autem ſeorſim, & molochion ſeorſim tranſplantari debent. Menſe Auguſto ſeminatur intybum & ſeutlomolochon, & intybum ſerotinum, & rapum capitatum, & rapum præcox, & gongylaſparagos, & braßica alba. Tranſplãtatur porrũ, intybum, ſeutlomolochon, & raphanus ſeminatur in latitudinem. & eruca & naſturtium ſeritur. Menſe Septembri ſeritur ſeutlomolochon, & intybum ſerotinum, & rapum ſylueſtre. Tranſplãtatur autem rapum capitatum, & rapum tranſiens in gongylaſparagon, & intybum brumaliticon, & ſeutlomolochon, ſimul & raphanus & coriandrum. Menſe Octobri ad nouum annum ſeritur Marulium, picridium, Comodianum, polyclonum, lactuca.

Tranſp

Tranſplantatur autem rapum, beta & intybum, & naſturtium, & eruca, braßicaq́; & braßica alba. Nouembri menſe ſeritur fœnum Græcum, & tranſplantantur rapa ſylueſtria, & intybum ſerotinum, & beta ſeorſim, & molochion ſeorſim. Seritur & coriandrum. Menſe Decembri ſeminatur Marulion, & picridion, polyclonon, lactuca, comodianum.

De horti conſtructione. CAP. II.

HOrti conſtructio res eſt uel maxime neceſſaria in uita. Hortum itaq; conſtruere conuenit & ad ſanitatem, & ad uires à morbis reficiendas, non procul ab ædibus, ſed in uicinia, ut etiam delectationem ex adſpectu inde capiamus, & iucũditatis ex odoris fragrantia participes fiamus. Situs autem eius non ſit ſecundum uentum arearũ, ut ne à tenuißimis quibuſq; palearum particulis inde allatis plantæ perdãtur. Oportet autem eum qui ambitioſe olerũ plantationem inſtituit, proſpicere ut ſemina ſint bona, terra apta, aqua item & ſtercus ſint in prõptu. Etenim bona ſemina, ſimilia efficient ea quæ inde generabuntur. Terra autem apta & fœcunda concreditum ſeruabit. Aqua uero per alimentum ſui, olera maiora faciet. Stercus autẽ laxiorem facit terram, ut aquam facile ſuſcipere poßit, quo & radicibus impertiatur, & plantam foràs mittat.

De terra oleribus apta. CAP. III.

TErra horti culturæ optima eſt, quæ neque æſtate ualde reſiccatur, neque argilloſa, neque ualde aſpera eſt, neque in æſtate magnis hiatibus rumpitur. Quæ enim per æſtatem ſic reſiccatur, omnia implantata ſibi perdit, aut tenuia & imbecillia facit. Vix autem argilloſa idonea redditur,

tur, ſi ex æquo ſtercus ei ammiſceatur. Quæ uero in hiatus diſparatur, penitus inutilis exiſtit. Aſpera autem neq; nutrire, neq; recipere aquã poteſt. Sunt autẽ pauci loci aſperi & arenoſi oleribus idonei, qui uidelicet multum limum habent, ex quo radices aluntur. Quapropter facile eſt deprehendere terram oleribus aptam. Hanc enim ſi aqua diſſolueris & laueris, & repereris multum limu habentem fœcundam & cõmodam oleribus iudicabis. Si uero plus aquoſitatis habuerit quàm limi, oleribus inepta eſt. Eandem autem ſi uelut ceram manu emolliendo, glutinoſam ualde repereris, itidem inutilem oleribus iudicabis.

Quale ſtercus oleribus idoneum ſit. CAP. IIII.

STercus optimum omniũ oleribus eſt cinis tenuiſſimus & natura calidus, occidit enim pulices & uermes, & eiuſmodi beſtiolas. Secũdo loco colũbinum eſt, quod ipſum itidem beſtias necare poteſt, & ſi etiã parum ex ipſo coniectum ſit idem efficit, quod alterius magna copia. Quidã tamen aſininum colũbino præferunt, tanquam quod olera dulciora reddat. Optimum ſtercus eſt & caprinum, eadem cum prædictis præſtare ualens. Verum ex inopia etiã alia ſtercora in uſum uenire poſſunt, non tamen recentia, Hæc enim beſtias gignunt. Sint autem ſtercora omnino annicula, & ligonibus ſæpe tranſmutata ac confuſa.

Quomodo poſsint olera omnigena in locis aqua carentibus haberi. Vindanionij. CAP. V.

QVantumcunque uoles terræ ſpatium eligito, & ipſum pedali aut cubitali profunditate fodito, &

& ablata terra effoſſa, tegulas in effoßum locum ſternito, inijcitoq́; terram puram & cribratam cum aridißimo ſtercore, atque ſic plantato, aut ſerito olera. Quidam pro tegulis, locum effoſſum complanant tectorio inducto, ex calce uidelicet, quemadmodum in torcularibus fieri ſolet, & tunc terram & ſtercus inijciunt ac plantant. Siue autem calcis tectorio, ſiue tegulis quis utatur, etiam murorum foſſum locum ambientium curam habere conuenit, eos'que ſimiliter tectorio, aut per tegulas munire, ut nequaquam poßit aqua ad rigandum affuſa diffundi. Hoc autem facto, omnia plantant ſimiliter in locis aqua carentibus, hyeme quidem pluuialibus aquis contenti, æſtate autem rigantes. Neque enim multa aqua opus habent, quum humiditas totius hyemis in loco conſeruetur, per excogitatam uidelicet munitionem, & non in uicinos locos distribuatur. Aliqui uero aquarum abundantiam non habentes, duos hortos faciunt, alterum hyemalem, qui ex pluuijs opem ſentit, alterum æſtiuum, in loco umbroſo, & ad ſeptentrionem ſito.

Vt hortus uiridis & floridus fiat. CAP. VI.

FLoridus euadet hortus, ſi loto tuſa, & in aquam conjecta, eum reſperſeris. Aut fœno Græco in aqua trito ſulcos irroraris. Aut aſini caluariam in medium hortum depoſueris.

Vt olera à pulicibus non corrodantur, neq; à pedunculis aut auiculis lædantur, Anatolij. CAP. VII.

OLera à pulicibus non corrodentur, ſi ſeminibus ipſorum parum erui in ſeminando ammiſcueris.

Hoc

Hoc uero uel maxime raphanis & rapis conueniens exiſtit. Alij magis naturali auxilio utuntur, erucā ſimul ſerentes aut plantantes, & præſertim cū braßicis. Hæ enim magis à pulicibus infeſtantur. Si uero neq; ab alio quopiā ſemina lædi uelis, ſemperuiui ſucco ea maccrato ante ſationē. Omnia autē ſemina tum hortenſia, tum arualia, ab omni beſtia integra & illæſa cōſeruabis, ſi ipſa in ſucco cucumeris ſylueſtris præmacerata ſeminaueris. Incorroſa autē manent olera in teſtudinis teſtā conſeminata.

Vt erucæ in oleribus aut arboribus non ſint. CAP. VIII.

CInerem uitigineum per triduum in aquam mittito, & olera inde adſpergito. Aut bitumine, ſulphure uiuo, arbores aut olera ſuffumigato. Similiter nō erūt erucæ ſi ſemen in lixiuiū cineris ficulnei miſſum maceraueris, & ita ſeminaueris. Cæterū erucæ quæ iam ſunt perdētur, urina & amurca ex æquo mixtis, & igne feruefactis, deinde refrigeratis, & ſic oleribus aſperſis. Si uero etiā alterius horti erucas receperis, & in aqua cum anetho coxeris, & refrigeratam aquam oleribus irroraueris, præſentes erucas perdes. Quidam ubi multæ erucæ ſunt, mulierem menſtruatam in hortum inducunt diſcalceatam, ſparſis crinibus, unico tantum palliolo indutam, & nihil omnino præterea habentem, neque perizomate ullo circū pudenda uelatam, neque alia ulla re tectam. Hæc enim hac figura ac habitu ortum circumiens, & per mediū egreſſa, ſtatim erucas diſsipare faciet. Sed & fungos ſub nucis arbore enaſcentes, ſi quis ſuffumiget, eas diſperdet. Quin & ueſpertilionis ſtercore, & allij lignis exemptis capi-

tibus ſuffitis, ita ut uapor per omnem hortum diſpergatur, erucæ necabuntur.

Quomodo praſocurides, hoc eſt blattæ necentur. Diophanis. CAP. IX.

V*Entriculum ouillũ recentẽ ſtercore plenũ & illotũ defodito, non in profundum, ſed in ſuperficie: inuenies enim ipſum blattis praſocuridibus appellatis repletũ. Si uero iterũ idem feceris, omnes cõgregabis, & ſic apprehẽſas perdes. Eſt enim ſtercoris amans animalculum, ſemperq; in ipſo degens, hoc modo cito & facile capitur.*

Quid commode iuxta olera ſeritur. Frontonis. CAP. X.

O*Mnia olera in uniuerſum iuuantur, ſi eruca iuxta ipſa conſeratur.*

Quomodo olitori iniuria fieri queat. CAP. XI.

A*Nſerum ſtercus muria diſſolutum oleribus adſpergito.*

De malua, & quæ ipſa fiunt ad diuerſa uitia curanda. Damagerontis. CAP. XII.

M*Alua feruefacta & per ſe comeſta, raucedinem ſedat, cum oleo autem & garo accepta in cibo, uentrem ſoluere poteſt. Folia ipſarum trita cum folijs ſalicis, omnibus emplaſtris cõmodiora ſunt: Nam & inflammari non ſinunt, & ſanguinem ſiſtunt, & recens uulnus cicatrice includunt. Sed & luxatis ac cõtuſis medẽtur. Phalangiorum quoq; & reptilium plagas curant folia eiuſdẽ, ſi cepas & porrũ triueris, eisq; miſcueris, ac impoſueris. Si quis uero ſylueſtris maluæ ſucco cũ oleo illinatur,*

à ueſpis

à ueſpis non pungetur, ſed & qui punctus iam eſt ſucco opem ſentit, & folia maluæ contuſa & impoſita ſimiliter percuſſum ab illis ſanant. Similiter autem curat malua illita lichenas, & occulta fœminarum uitia. Succus uerò eius auribus inſtillatus, dolorem aurium ſedat. In potu acceptus cum melle hepaticos ſanat, & comitiali apprehenſos reſipiſcere facit. Eodē modo & nephriticis & iſchiadicis auxiliatur. At uerò decoctum ipſius potatum, difficultatem emittendi urinam emendat. Eſt etiam commodum difficulter parturientibus.

De lactuca, & medela ex eadem, & quomodo alba ac bona ſpecie proueniat. Florentini. CAP. XIII.

LActuca humidum & frigidum eſt olus, & ob id ardentibus inflammationibus congrua eſt. Eſt autem edulium ſitim extinguens, & ſomnificum, & lac allicit. Cocta autē magis alit, coitū uerò auertit, unde Pythagorij ipſam eunuchū appellāt, mulieres uerò aſtylida. Si uerò et bona ſpecie habere uelis lactucas, duobus diebus anteaquàm eas ablaturus es, comas ipſarum, hoc eſt ſupernam partē ligato: ſic enim albæ & ſpecioſæ erūt. Inalbat ipſas etiam harena ſupernè infuſa. Lactuca agreſtis appetentiæ cibi cauſa eſt, pituitā ſoluit, Venerē cohibet, cū uino dulci aut aceto accepta bilē tēperat. præcordia cū hyſopo et aceto iuuat. Cocta in roſaceo, et data cholerā, hoc eſt bilem ſupernè & infernè erumpentē, ſedat. Succus eius uiſcera tumentia comprimit. Cum muliebri lacte illitus eryſipelata ſanat. Semen tritum & potatū morſum ſcorpij ſanat. Pectus affectū iuuat, ſomnū inducit ſanis quidem in

cibo acceptum, ægris uerò ſuppoſitum neſcientibus, & præſertim ſi quis uiuiradicem lactucæ ſatiuæ euulſam ex terra ante ſolis exortum, latēter ſub ſtratum ægri ponat. Succus etiã huius, fronti ægroti illitus ſomnũ ipſi inducit. Si uerò uelis lactucas facere cõcauas & folioſas, et in caulem non excreſcere, ſed humiles, & ad terram depreſſas eſſe, tranſplantatas rigabis: quum autem altitudinem palmi parui habuerint, circunfodies ipſas ut appareant, radices ſtercore bubulo recenti oblitas obrues, et ſtatim rigabis. Vbi autem increuerint, germen acutiſsimo ferro finde, & teſtam non picatam impone, quo in latitudinem, & nõ in longitudinem augmentum capiant. Cæterũ lactuca aſsiduè comeſta uiſus hebetudinem cohibet, & uiſus claritatē inducit, præſertim ſi ſit dulcis. & multæ quidem in cibum acceptæ, uentrem ſoluunt, paucæ uerò ſiſtunt, et grauedinē mitigant. Qui ieiuni præſumpſerint lactucam, aquarũ uarietatibus in peregrinationibus non conſternabuntur, neq; offendētur, neq; uerò ab ebrietate tētabitur quiſquis ipſam præſumpſerit. Reddetur lactuca odorata, ſi citrij ſemen in eius ſemē imponatur, et ſic ſeratur. Semen potatũ fluxũ ſeminis cohibet, quapropter his qui aſsiduè per ſomnũ hoc effundunt exhibetur. Ipſa etiã folia lactucæ quinq; numero, aut tria, aut unum ſomnũ inducēt ægroto clanculũ ſub puluinar poſita, ita ut partes à caule auulſæ ad pedes ægroti ſpectent, ſupernæ uerò ad caput ægri uergant.

Vt lactuca habeat in ſe apium, & erucam, & ocymum, & alia huius generis, ab eadem radice. Didymi. CAP. XIIII.

CAprinum aut ouillum ſtercus accipito, & quantumuis

uis paruum ſit perforato, & induſtriè euacuato, ſeminaq́; dicta, aut quæcunq; uelis in euacuatam partem denſe indito, & in profunditatem non minorem duorum palmorum paruorum deponito, ſtercore tenero ac raro præſubſtrato, deinde tenui terra aggeſta, et ſenſim aqua rigato, atq; etiam ubi enatum fuerit ſemen irrorato, aßiduè ſtercus inſpergendo. & poſtquàm in caulem excreuerit, multò plus diligentiæ adhibeto. naſceturq́; lactuca cum iniectis ſimul ſeminibus concreta. Alij duas aut tres caprini aut ouilli ſtercoris pilulas confringũt, et ſemina ipſis ammiſcẽt, eaq́; ſimul in linteolũ mittũt, et rigata defodiũt, aliaq́; itẽ cura adhibita, lactucã multiplicem & uariarũ ſpecierũ habent.

De betis, & quomodo magnæ fieri poſsint.

Sotionis. CAP. XV.

SI maiores & albiores facere betas uelis, radices ipſarum fimo bubulo recenti intege, & quemadmodum in porro germen finde, & lapidem latum aut teſtam impone. Betæ exterſoriæ facultatis exiſtentes, uentrem emolliũt ferueſactæ, cũ oleo & garo ac modico nitro comeſtæ. Succus crudarum betarum furfures, & in capite repentes pediculos curare poteſt. Idem permixtus cum cera, et liquefactus, ac panniculo exceptus, omnia dura & tumentia uitia impoſitus curat, impetiginis etiam ſpeciẽ quæ alphos Græcis appellatur, itemq́; alopecias eodem modo ſanat.

De diuerſis oleribus, & medela ex eiſdem.

Varronis. CAP. XVI.

REmediorum ſpecies paulò antè, quum ſapientißimi Neſtoris auxiliarem hortum, alexicepon ab ipſo appellatum, & elegiacis uerſibus compoſitũ, interpretarer,

abſolutius conſcripſi, & tamen quum etiam hic diuerſorum olerum mentio fiat, neceſſarium exiſtimaui, præſertim in agricolarum uſum & commoditatem itidem ex ipſis remedia ac medelas adſcribere.

De braſsica & medela ex eadem. CAP. XVII.

NOſſe *expedit quòd braßica in ſalſo loco conuenienter ſeratur. Quapropter dum foliorum trium erit, nitrum tritum, aut ſalſuginoſam terram cribro excuſſam adſpergere oportet, ut quaſi pruina conſperſa uideatur.* Hoc *enim modo etiã coctu facilior redditur. Quidam pro nitro utuntur cinere, propterea quòd etiam erucas necet.* Braßica *minus cocta uentrẽ cohibet.* Diſce *autem ex braßica medicinã.* Ducit *braßica mulieribus menſes, & maximè ſi decoctum eius cum dulci uino bibatur.* Cocta *autem præſumpta phthiſicos curat.* Si *quis braßicam coctam & tritã, & cum aqua in qua cocta eſt, permixtam ac refrigeratam, uulneribus tum nouis tũ ueteribus inducat, itemq́; tumoribus, inde mitigantur.* Podagram *& morbũ articularem, ſanat decocti eius fomentũ, ipſa uerò farinæ hordeaceæ, & coriandro, & rutæ, ammixta, modicoq́; adiecto ſale, in emplaſtro impoſita.* Succus *eius melle* Attico *permixtus oculos iuuat angulis admotus.* Alimentũ *autẽ corpori abundè præbet, adeò ut pueri braßica ueſcẽtes citius augeſcant.* Qui *boletos uenenatos ederit, ſucco eius poto ſeruabitur.* Ictericos *& ſplenicos curat ſuccus cũ uino albo ad dies* XL. *potatus.* Idem *cũ uino nigro potatus, tußim ſedat.* Impetiginẽ *tollunt folia affricta, & reptiliũ morſus ſtatim impoſita ſanãt.* Pſoram *et leprã braßica alumini rotundo aceto macerato permixto ſanat.* Cinis *ex radicibus*

ambuſtis

ambuſtis prodeſt. Vlcerationẽ in ore & tonſillis, & uuæ tumorẽ, ſuccus eius cum oleo acceptus & diu detentus ſe dat. Auribus auxiliatur ſuccus cum uino fomenti loco admotus. Aeſtuoſis in morbo trita & impoſita, maximã le nitatẽ inducit. Cocta & præſumpta per ſe, uoci & arteriacis affectionibus medetur, unde & uocis ſtudioſi hac utuntur. Muris aranei morſus, canis tum rabidi, tum nõ rabientis morſus, ſemen ipſius aut folia trita ſanant, ſi cũ ſilphio et aceto trita imponãtur. Datur ipſis etiã decoctũ foliorũ in potu, areſactorũ prius ubi purgata ſunt, deinde coctorũ. Splenẽ liquat trita & impoſita. Cruda præcomeſta uigilias ſedat, & imaginationes incidere non ſinit. At uero Neſtor in Alexicepo ſuo, braßicã Lycurgi lacrymã eſſe dicit. Quũ enim Bacchus cum reueritus, inquit, mare ſubijſſet: Lycurgus uero uite uinctus lacrymam emiſiſſet, ex lacryma braßicã enatã eſſe dicit, & ob id cõtrarietatem inter ſe uitẽ & braßicã habere. Profectò ſi quando braßica in aruis appropinquauerit uiti, aut ſtatim tabeſcit, aut ſarmentũ uitis tabefacit. Ob hanc autẽ inimicitiã inter hæc ipſa, ſi contigerit à capitis deſtillatione uuam aut columellã in guttur laxari, crudæ braßicæ ſuccus capiti impoſitus, uuam retrahit in ſublimem oris partem. Si uero contingat plantari ex uicino uitem ac braßicam, ſarmentum uitis augeſcens, ubi iam braßicæ appropinquaturum eſt, non amplius directe procedit, ſed retrouertitur reminiſcens quodam modo mutuæ contrarietatis. Similiter ſi quis braßicæ dum coquitur, uinum uel modicißime inſtillet, neq; coquitur de cætero, & color eius corrũpetur. Et qui multum uinũ bibere uolunt, & non inebriari,

crudam braßicam præſumant. Verũ noſſe expedit, quòd braßicæ ſemen inueteratum raphanum producit.

De aſparago. Didymi. CAP. XVIII.

ASparagus gaudet terra explanata. Seminatur autem uere. Scrobes itaq; digitorum trium facito, & in ſingulis ſeminis grana duo aut tria imponito. Diſtent ſcrobes inter ſe ſpacio dodrantali. Seminati autẽ primo anno non uexentur, præterquam quòd runcentur. Si uelis aſparagum multum prouenire, Arietum ſylueſtriũ cornua tenuißime contuſa ſulcis cõmittito, & rigato. Quidam magis præter opinionem tradunt, quòd ſi integra arietum cornua non in tenues partes tuſa & ſecta, perforẽtur & pangantur, aſparagum producent. Si uelis aſparagũ per totum annum habere, quum fructum adimis, ſtatim ſarrito in ſuperficie radices. Sic enim tractata planta, rurſus aſparagum remittet. Hoc olus non gaudet rigatione, ſed magis ſiccitate. Circa autumnum autem ſi quis ipſum riget, tenerius & floridius euadet.

De cucurbitis & cucumeribus, & medela ex ipſis, & quomodo utraq; ſine ſemine interno prouenire queant, & præcocia fieri. Quintiliorum. CAP. XIX.

NOn habebunt ſemen intra ſe hoc modo. Sarmentum aut uirgultum primum mox ubi increuerit cucurbitæ, ſiue cucumeris in terram defodito, quemadmodum uitis ſarmẽta ſolent, ut ſumma pars tantũ uirgulti emineat, & poſtquã auctum fuerit, rurſus idem iterũ ac tertiò defodito, & exortus iuxta mediũ, & ſuper terram extantes ſecato, ſolumq; poſtremum tertium uidelicet relinquito, & habe

& habebis tum cucumeres, tum cucurbitas ſemine carẽ=tes. Similiter ſine ſemine eadem facies, ſi triduo antequã ſemines, ſemen ipſum oleo ſeſamino maceraueris. Præco=ces cucumeres & cucurbitas ſic reddes. In cophinos aut in fictilia inutilia terrã cribratam mittes, ſtercore ammix=ta liquidiorẽ factã, & anticipato cõſueto tẽpore, uere ui=delicet inchoante, ſemine implantabis, & quum ſol fuerit & calor, & moderata pluuia, cophinos ſub dio expones, circaq́; ſolis occaſus eos in domum contectã inferes. atq; hoc aſsidue facies, aquã irrorans quando uſus poſtularit. Poſtquàm uero perfecte ceſſabũt frigora & glacies, co=phinos ſiue dolia in locum ſubactum & excultũ depor=tatos defodies, ita ut labra æqualia ſint terræ, & deinde reliquam curã adhibebis. Si uero abſtuleris ipſorum uir=gulta, citius fructum producent. Longos autẽ facies hoc modo. Si in mortario aut alio quopiam uaſe aquam prope ipſos appoſueris, diſtantia quinq; aut ſex digitorum. Se=quenti enim die cucumeres in tantum extẽdentur. Si uero aquam non habeat mortariũ, cucumeres & retrocedunt & incuruantur. Ita enim gaudent humiditate, & fugiũt ſiccitatẽ. Transfigurabuntur autẽ in quãcunq; uelis figu rã, ſi teſtacea feceris uaſa, eaq́; paruis adhuc circũpoſue=ris & obligaueris, formas enim & characteres implebũt. Quare & arundine in longũ ſecta, excauataq́; & cõpo=ſita ac coarctata, ſi in eã cucumerẽ aut cucurbitã dũ ad=huc parua eſt immiſeris, augeſcens per omnẽ longitudinẽ arundinem explebit. Cæterum cucurbitæ uentrem emol=liunt, aurium dolores curant, ſucco ipſarum auribus im=miſſo. Verũ cucumerum ſemen urinas acres contemperat

et educit. Non lædentur hæc à pulicibus, ſi origani ramu los, paruis adhuc exiſtentibus his prope defixeris. Nã & præſentes pulices perdunt, & alios naſci nõ permittunt. Si uero infanti qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti adiunxeris, ac quaſi cõdormire feceris, febricitans ſtatim ſanabitur. Omnes enim calores in cucumeres tranſibant. At uero ſylueſtris cucumeris radix ſiccata & tuſa, & cum uino dulci potata, aut cũ aqua mulſa, ad uomitus mirabile auxiliũ habetur. Quòd ſi inaquoſos cucumeres habere libeat, ubi ſcrobem foderis, in quem cucumeres plantaturus es, dimidiũ altitudinis eius paleis aut ſarmentis exple, & aggeſta terra planta, nec riga. Verum uentri cõmodos aliqui hoc modo faciunt. Radices ſilueſtris cucumeris contuſas aqua potabili biduum aut triduum macerant, & hoc ipſo cremore eos per dies quinq; rigant, atq; hoc quinquies faciunt. Amplius autẽ aluo commodi fiunt, ſi poſtquàm germinauerint, radices circumfoderis, & ueratri partem ramulis inieceris, & aggeſta terra ſiueris. Cucumeres in uini albi fæcem dulcem, & non peruerſam, immittes, & expletũ uas oblines, manebuntq́; recentes. Similiter & in muria compoſiti permanebunt. In uigore cõſeruabis cucumeres, ſi in uas parũ aceti habens ſuſpenderis, ita ut acetum non contingant, & uas obleueris ut non tranſpirent, hoc modo recentes etiã hyeme habebis. Cucurbitas ſeruabis ſic. Has teneras acceptas concide, deinde aquã feruefactam affunde, & per totam noctem ſub alio perfrigera, indeq́; in muria acri compone, & diu permanebunt. Cucurbitas autem purgatorias facies, ſi ſemen noctem ac diem ſcamonia

maceraueris. Magnos cucumeres facies, itemq́; cucurbitas, ſemine ipſorum in caput plantato.

De melopeponibus. Florentini. CAP. XX.

REfrigerant quidem abunde, uerum utiliſsimi ſunt ad uomitum opportunè uolenti ciendum. Poſt acceptum enim cibum pituitam mouent, plurimum eius educentes, & caput purgantes. Cæterum Melopepones roſarum fragrantiam ſpirare facies, ſi ſemen ipſorum cum roſis aridis depoſueris, & mixtim plantaueris. Poſſunt autem ſitim febris ardentis extinguere. Omnes porrò fructus cucumerariorum, dulces efficies, ſi ſemen ipſorum lacte & melle maceraueris, & refrigeratum ſeminaueris. Si uerò ſemperuiui herbæ ſucco ſemina cucumerariorum rigabis, illæſa ipſa ſeruabis. Mulier mēſtruis purgationibus laborans cucumerum plantas & loca in quibus conſiti ſunt ne accedat. Marceſcit enim fructus, & quæ naſcuntur amara euadent.

De rapo eiusq́ ſemine. Eiuſdem. CAP. XXI.

RApum nullo humano uitio curando commodum eſt. Verum animalium attritus et contuſiones curare poteſt, ungulis ſuppoſitum & reuinctum. At uerò ſemen rapi poſt annos tres braſsicam producit, & uice uerſa.

De raphanis. Eiuſdem. CAP. XXII.

RAphani dulces erunt, quorum ſemen uino mulſo, aut uuarum paſſarum ſucco fuerit maceratum: pituitoſis commodant, nephriticis medentur, maximè ſi quis externā ipſorum partem cū uino coctam ieiunus ſub diluculū accipiat. At uerò cum melle comeſti tuſſes ſanāt. et ſemen ipſorum torrefactū, ac cum melle acceptū, ſimiliter

ter ſedat tuſsim & ſpirandi difficultatem. Nutricibus dati lactis copiam exhibent, ad uenerem incitant, uocem lædũt. Si quis ieiunus ipſos accipiat, ſecurus erit ut ne à medicamentis lædatur. Succus ipſorum ex aqua acceptus boletis & uenenis reſiſtit. Si uerò raphani ſucco quis manus ſuas probè illinat ac confricet, intrepide & citra periculum reptilia ac ſerpentes apprehendet. Scorpijs impoſiti raphani, eueſtigio ipſos interficiunt. Aquam inter cutem ſanant ex aqua accepti, ſplenem attenuãt. Morbũ regium ſuccus ipſorũ ante balneum ex uino dulci potatus ſanat. Purgant ſupernũ uentrem ſi quis acceptos cũ melle, & pauliſper retentos reuomat. Etenim ad ciendũ uomitum ſunt accommodati. Excitant appetentiã in his qui cibum auerſantur. À quartana liberant, ſi quis frequenter ipſos accipiens euomat. Si in aliquo loco contingat aquã uitioſam eſſe, ſalubrior fit ſi raphani in ipſa coquãtur. Solos autem dentes corrumpunt. Sanguinem ſpuenſibus cocti utile edulium exiſtunt. Si uerò quis præſumpto raphano à ſcorpio percutiatur, non ſolum non morietur, ſed etiam celerem ſanitatem adipiſcetur. Tritus idẽ & impoſitus his qui tormentorum plagas ſuſtinuerunt, uibices omnes quàm celerrimè ſanat. Detergit etiam lentigines, & alopecias denſas reddit. À reliquo autem cibo acceptus ſpiritus repurgationem facit.

De apio. Eiuſdem. CAP. XXIII.

MAgnum euadet apium ſi ſeminis eius quantum tribus digitis apprehendi poteſt in panniculum uetuſtum illigaueris, deinde ſtercore intectũ ſtatim rigaueris. Similiter maximum erit apium, ſi circunfoſsis radicibus

paleas

paleas adieceris & rigaueris. Criſpum autem erit apium, ſi ſemen eius priuſquam plantetur, in pila leuiter tundatur atq; cylindrus ipſi inducatur. Apium in cibo acceptũ proprias uulnerum fluxiones magis pronas deferri facit, quare non permittendum lactantibus ut apium edant, & præſertim ob id quòd lac cohibeat. Odoris autem iucunditatem ori conciliat. Quapropter qui oris graueolentiã habent, eius eſu fœtorem propellunt. Eos etiam qui in ſcenis uerſantur hoc comedere aiunt, quo ora ipſorum odoratiora fiant. Cæterum cum pane cataplaſmatis uice impoſitum apium, eryſipelata ſanat, & decoctum eius in inſeſſum ac fotum affuſum lapides eijcit, & urinæ difficultati medetur, ac renes ſanat.

De menta. CAP. XXIIII.

MEnta inutilis eſſe putatur. Cui enim in uulnere exhibita fuerit, huic non facilè idipſum ſaneſcet. Si uerò & in lac inijciatur, & coagulum poſtea immittatur, lac non coagulabitur. Inepta etiam ac incommoda rebus uenereis habetur.

De ruta hortenſi ac ſilueſtri.

Eiuſdem. CAP. XXV.

RVta non gaudet ſtercore, ſed calidis & apricis locis. Quapropter per hyemem cinere ipſam contegere oportet, ex huius enim naturali calore, frigoribus reſiſtit. Oportet autem rutam in uaſis fictilibus plantare, & cauere ne mulier inquinata ipſam accedat, aut omnino contingat. Statim enim ipſam perdit. Cæterum ſi quis tenera rutæ medulla aures obturet, capitis dolorem ſanabit. At uerò ſilueſtris rutæ ſuccus muliebri lacte permixtus &

ſublitus

ſublitus, uidendi acumen præbet. Caligines etiã oculorũ & incipientes ſuffuſiones, tum hominum, tum animaliũ ſoluit, mellis Attici partib. duabus ad unã ſucci rutæ partem ammixtis & illitis. Ipſa etiam ſylueſtris ruta in cibo ac potu accepta idem facit. Semen autẽ ſylueſtris rutæ potatũ per dies quindecim fœtus corrumpit. Natura enim uterũ geſtantibus aduerſatur. Sedat etiã dolores et læſiones ex beſtijs inductas cum uino potata. Auxiliatur etiam comitiali morbo in potu, et ſoluit thoracis dolores. Aures etiam cum uino aut roſaceo oleo repurgat.

De eruca. CAP. XXVI.

ERucæ ſemen muris aranei morſibus medetur in uino potatum, lumbricos educit, ſplenem attenuat. cicatrices nigras cum bubulo felle et aceto permixtum purgat, Sanat etiam lentigines. Permixtum uerò melle maculas in facie emendat. Cum uino præſumptum, minus dolere facit eos qui flagris cæduntur. At uero ſylueſtris erucæ folia numero tria, ſiniſtra manu accepta arquatum morbum ſanant. Ipſa eruca etiam axillarum fœtorem ac graueolentiam corrigit.

De naſturtio. Eiuſdem. CAP. XXVII.

NAſturtij ſemen farinæ fabaceæ ammixtum, addita etiam calcis parte ſtrumas ſanat, & carbunculos, uerum linteoli loco braßicæ folijs utendum eſt. Cum menta autem & uino potatum, lumbricos & latos uermes, inſtitas & tænias appellatos, educit. In lacte caprino coctum thoraci medetur. Suffitum uero ſerpentes fugat. Aiunt ueſcẽtes naſturtio mẽtis acumine ſubtiliores euadere. Res uenereas magis cohibet. Cũ melle tußi medetur.

Imponitur

Imponitur etiam ulceribus, & ſub ſerpendo depaſcētibus ac uelut cuniculos agentibus. Succus ipſius pilorum deflu uium inhibet. Adipe anſerino addito, ulcuſcula in capite, furfuresq́; ac porriginē curat. Furunculos cum fermento maturos facit. Aiunt etiam dentium dolorem ſucco eius ſa nari, per aures inſtillato.

De intubo, ſiue ſeride aut troximis. Didymi.

CAP. XXVIII.

SEris ſiue intyba, hoc eſt troxima Græcis appellata, in aceto tincta & comeſta, ſtomacho conueniunt. Spuentibus ſanguinem ſuccus utiliſsimus eſt, ſi alter= nis diebus bibatur. Medetur ipſa herba cardiacis, tri= ta & ſub ſiniſtram mammam ſubdita. Datur etiam do= lentibus hepar, ſuccus eius in ſole antea paululum refri= geratæ ac aſsiccatæ, & deinde tritæ. Si uero quis poſt generationē lunæ ea conſpecta, iurauerit ſuper ipſa, quòd intubum non ſit comeſturus, neq; equinas carnes, is in tri ginta diebus non dolebit dentes.

De porro. Sotionis. CAP. XXIX.

SOtion admonet poſt ſationem porrorum ſtatim cōcul= candos eſſe ſulcos, & non rigādos, ſed neglectim re= linquendos per dies tres, quarta uero rigari debere, ita enim pulcherrimos prouenturos. Porrū autem pleniſsimū erit, ſi arenā terræ ammiſcueris in plantando. Similiter porri magni fient, ſi dum tranſplantas ipſos, teſtam aut lapidem latum ſuppoſueris, & non rigabis. Magni itidem erunt ſi dum tranſplantas, caput porri abſque fer= ro, radio uidelicet aut arundine acuta punxeris, & ſe= men cucumerum in medium ipſorum indideris. Etenim immiſſum

immiſſum ſemen unitur, & porrum intumeſcere facit.

Aliqui ſemen immittunt, non cucumerum, ſed raporũ, & hoc unitur, & magnitudinis cauſa exiſtit. Valde autem maiores porri fiunt, ſi in panniculum lineum protritum & ueterem, quantũ tribus digitis apprehẽdi poteſt illigaueris, deinde ſtercore intexeris, ſtatimq́; rigaueris.

Totus enim ſeminum aceruus unitus, unum magnum porrum efficiet. Idem cõtingit etiam in apio. Si uero quis cuminum præſumat ante porros, non olebit. Cæterum reptilium & phalangiorum plagas, ſi porros tritos impones, citius quàm alio pharmaco curabis. Coctum autem porrũ cum melle datum, omnes circa arteriã affectiones curare conſueuit. Et ſemen eius cum paſſo potũ urinæ difficultati medetur. Aſsidue autẽ comeſtum uiſum obfuſcat, & ſtomacho iniquũ eſt. Morſis à beſtijs cõfert ſuccus potatus cum aqua mulſa. Ipſum etiã porrum cataplaſmatis uice impoſitum. Auxiliatur etiam aurium dolori ac ſonitui, cum aceto & thure, aut lacte & roſaceo inſtillatus. Puſtulas quoq; nocturnas ſanat. Porris ualde flaccidis & uietis utendum eſt. Non minus enim quàm carnes nutriunt: dolentibus latus hoc olus commodum exiſtit.

De allijs. CAP. XXX.

ALlia optime proueniunt in terra alba. Hæc in cibo accepta lumbricos expellunt, & urinam mouẽt. Morſis à uipera & à rabioſo cane, tum in cataplaſmate, tum in cibo auxiliãtur. Vſta autẽ & melle ſubacta ac illita, ſugillata, & alopecias ſanant. Dentium dolores in ore detenta ſedant. Cum oleo autẽ & ſale eruptiones papularum curant, & hydropicis medentur. Remouẽt etiã

lentigines

lentigines & impetigines. Et coctum autem & crudum comeſtum ueteres tuſſes iuuat. Si quis autem allium præſumat, à ſerpentũ reptiliumq́; ac alijs uenenis illæſus manebit. Sed percuſſos etiam ab illis, trita & impoſita allia ſanãt. Valde proſunt etiam cum uino potata. Commodant etiã eis qui alimentũ cõcoquere nõ poſſunt. Vrinam ſubducũt, nephritim ſiue renum morbum ſanant. Vitioſarum aquarũ noxam prohibent. Quòd ſi uelis allia dulciora eſſe, cõtuſa hæc plãta. Cæterũ allium aliud eſt ſatiuũ et hortẽſe. Aliud ſilueſtre quod etiã ophioſcorodõ id eſt, ſerpentariũ allium uocatur. Syluestre autẽ fortius & ualidius eſt ad prædictas medelas. Dulciora itẽ efficies allia, ſi in plãtãdo nucleos oliuarũ ſimul depoſueris. Fœtore aũt carebũt, ſi & ſerãtur, et extrahãtur luna ſub terra exiſtẽte. Quidã tradunt ipſa grauẽ halitũ non eſſe factura, ſi quis ab ipſorũ eſu crudã fabam inſuper mandat.

De Cepis. CAP. XXXI.

CEpas plantaturus caudas ipſarũ & extremitates auferes, & magnæ euadent. Diebus uiginti ante tranſplãtationẽ, terrã fodito ac ſiccato, ut omni humiditate priuetur, & ſic plantato, ac multo maiores erunt. Si uero & capita ipſarum denudaueris, & ſic poſueris, adhuc magis grandes erunt. Optimæ autem erunt in terra rubra, quemadmodum allia in alba. Quo uero cepæ imputridæ permaneãt, ipſas in aquã calidã iniectas aſiccato in ſole, & ſiccatas deponito in paleis ordeaceis, ita ut ſe mutuo non cõtingant. Cepæ tritæ cum melle omni uulneri commode imponuntur. Quiq́; ſingulis diebus cepas teneriores ſelectas cũ melle ieiunus comederit, ſanus deget. Cepa

igitur ulcus ſanum faciet, allium uero etiam ſi ſano corpori imponetur, ipſum ulcerabit. Cepæ inſuper cũ aceto illitæ in ſole uitiliginẽ albam, alphon Græcis dictam, repurgant, & affrictæ alopecias citius ſanant. Succus etiã ipſarum auribus pure manantibus utilis eſt, & angi=noſis illitus prodeſt, & ad uiſum obtuſum facit. Cepa quoq; aſſata exhibita, tußim curare poteſt.

De Caucalidibus. Paxami. CAP. XXXII.

CAucalides in cibo acceptæ, nephriticos per urinas ſanant. Et ipſarum aqua hora una ante balneum cum paſſo potata, morbum regium per ſudorem curat. Comeſtæ inſuper cum aceto mulſo, & uomitu reiectæ, ſupernũ uentrem purgant. Atram quoq; bilem, & appetentiã cibi deſtructam, ac quartanam febrem curant.

De Pulegio. Leontij. CAP. XXXIII.

PVlegium cõcoctionem efficit ſiccam, tritum, & poſt cibum acceptum, aridam autem commanſum, & palpebris agglutinatum, lippitudinem in uigore exiſtentem, eximie curat, adeo ut qui eius rei periculum fecit, magis expetat ipſo in lippitudinibus uti, quàm probatißimis collyrijs.

De Anetho. CAP. XXXIIII.

Anethum comeſtum uiſum hebetat & obfuſcat.

De Scimbro. Damegerontis. CAP. XXXV.

SCimbron quod quidam ſiſymbrium uocant, appetentiam cibi excitat, & urinas mouet. Gaudet autem aëre tẽperato & ſicco, & loco aprico, nequaquàm arboribus infeſtato. Nutritur ſub terra & augeſcit. Seritur autẽ & plantatur, uerum à ſemine tertio anno fructum dabit.

Si uero

Si uero quis à uertice radicis, ex quo germen habet, quod quidam oculum appellant, plantet, eodem anno fructum producet.

De bulbis. Anatolij. CAP. XXXVI.

BVlbi magni erunt, ſi quemadmodum porris, teſtæ ſupponantur circa radices plantarum. Plantantur bulbi à Calendis Nouembris, uſque ad Calendas ſiue nouilunium Februarij.

De Scilla. Berytij. CAP. XXXVII.

SCillæ flos uirgæ ſpecie enaſcens, & non citius marceſcens, fertilitatem fructuum eius anni portendit.

De lapatho. Africani. CAP. XXXVIII.

SYlueſtris lapathi ſiue rumicis ſemen cœliacos ſanat, & dyſenteriam, cum uino potatum. Alligatus autem ſiniſtro brachio, mulieris ſterilitatem ſanat. Radix autem ſilueſtris lapathi arquatum morbum & hydropem curat. Cocta uero cum aceto & impoſita, lepras ſanat, & impetigines, & uitiligines, alphos Græcis dictas.

De cinaris. Varronis. CAP. XXXIX.

CInaras Nouembri menſe plantabis, tunc enim plantatæ uere fructum dabunt. Verum plantatæ in uere, uix ſequenti anno fructum ferent, & ipſæ quidem graciles erunt, fructus autē breuis. Cinararū plantæ accipiantur quæ maioribus ſtirpibus adnatæ ſunt, & acuta falce amputentur, effoſſa prius circūſita terra, ablata ſimul etiā aliqua radicis parte. Plantentur autē in terrā ſubactam, ueteri ſtercore affuſo. Aeſtate rigabis ipſas & quidē frequenter. Sic enim tenerum & pleniorem fructum habebis. Odoratas facies cinaras, ſi ſemen ipſarum in roſarum,

aut liliorum, aut lauri, aut aliquo alio ſucco per triduum maceratum, ſic terræ mandaueris. Sine ſpinis autem producentur, ſi acumina ſeminum hebetaueris ad lapidem defricta. Affirmant aliqui quòd quocunq; tempore cinaræ plantentur, eodem & fructum reddent, & ob hoc per totum annum poſſe cinaras haberi. Lauratas porro facies cinaras ſi accepto lauri fructu, eoq́; perforato, ſemen cinaræ in cauernam immiſeris, atque ſic plantaueris. Similiter autem ſine ſpinis naſcentur, ſi in lactucæ radicem decorticatam & in tenues partes conciſam ſemen occulatur, ſingulis ſegmentis ſemine indito, & ſic plantentur. Radicibus cinararum mures libentiſſime ueſcuntur, & ad has è longinquo accurrunt. Arcebimus autem ipſos radicibus lana inuolutis, aut ſtercore ſuillo, aut cinere ficulneo radicibus appoſito, atque hoc aut per contrarietatem quandam naturalem contigit, aut quòd odorem harum rerúm auerſentur & fugiant. Dulces fient cinaræ, ſi ſemen ipſarum lacte & melle maceraueris, & refrigeratum ac aſſiccatum ſeminaueris.

De portulaca. CAP. XL.

PO*rtulaca cataplaſmatis modo impoſita eryſipelata ſedat. Folium uero eius ſuppoſitum linguæ, ſitim extinguit.*

Fungi ut fiant. Tarentini. CAP. XLI.

PO*pulũ nigram deſecato, & in ipſam amputationem trunci ſtantis in terra, fermentũ aqua diſſolutum infundito, & ſtatim prouenient fungi populnei, Aegiritæ appellati. Si uero & ex terra fungos tibi produci uelis, eliges terram montanam, raram, harundinem & ſarmenta*

ſarmenta ferre ſolitam, & omnia quæ facile comburuntur coaceruata incendes, quum nubiloſum aërem eſſe uideris, ut uidelicet hymber incumbat. Sic enim ſponte naſcentur fungi. Si uero cōſtructa iā pyra, hymber nō ſuccedat, aqua pura ignitos locos irrorabis ualde rarenter, ad imbrium uidelicet imitationem, & naſcētur fungi quāquàm deteriores. Meliores enim ſunt ex hymbribus connutriti.

CONSTANTINI

CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XIII.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui decimus tertius eſt ſelectarū de agricultura præceptionū, & cōtinet deſcriptionē de locuſtis, & bruchis, & ſcorpijs, & ſerpentibus, & eiuſmodi beſtijs uenenum eiaculantibus. Inſuperq; aduerſum pulices, & cimices, & culices, & alia huius generis animalcula nociua medelā.*

De locuſtis. Democriti. CAP. I.

M*Vlta quidem ueteribus prodita ſunt arcendis locuſtis. Verum ego expeditiora inde ſelecta ſcribā. Si nebula locuſtarū accedat, omnes intus maneant inconſpicui & deliteſcentes, & præteribunt regionē. Si uero antequàm hoc obſeruatum ſit de repente inſtiterint, nihil omnino cōtingent, ſi lupinis amaris aut cucumeribus ſilueſtribus in muria ferueſactis conſpergantur. Eueſtigio enim moriūtur. Similiter præteribunt ſubiectā regionē, ſi captas ueſpertiliones ex ſublimibus regionis arboribus*

ſuſpenderis. Si autem captas locuſtas exuſſeris, ab odore uertigine afficiētur, & partim moriuntur, partim demiſſis alis uenatorē expectant, & à ſole corrumpūtur. Hoc naturale exiſtit. Nam ſi etiā ſcorpiū uſſeris, reliquos aut capies, aut fugabis. Idem & in formicis contingit, quēadmodum docuit experimētum. Fortaßis autē & in alijs huiuſmodi animalib. idem contingit. Fugabis locuſtas ſi confecto ex ipſis garo ſcrobes effoderis, eosq́; garo reſperſeris ac madefeceris. Antequam enim præterient dies, ſi acceſſeris reperies ipſas in ſcrobibus ſomno aggrauatas, quomodo uero ipſas perimas, tuæ curæ relinquo. Nihil omnino continget locuſta ex eis, quæ abſinthio, aut porro, aut centaurea, aqua tritis reſperſeris.

De Brucho. Didymi. CAP. II.

CIrcum truncum uitis iuxta radicem tria ſinapis grana obruito. Hæc enim enata odore ſuo bruchum enecabunt.

De Muſtelis. CAP. III.

SAlem ammoniacum & frumentum ſimul commaceratо, & hæc iuxta locum ubi frequenter diſcurrunt diſſeminato. Aut enim his comeſtis morientur, aut fugabuntur. Aiunt autem quòd ſi quis capta una ex ipſis, caudam aut teſticulos ei amputet, uiuentemq́; dimittat, de cætero non amplius ipſas repertum iri in illa regione.

De muribus domeſticis. Paxami. CAP. IIII.

MVres necantur ueratro cum polenta obiecto, aut ſilueſtris cucumeris ſemine cum ueratro nigro, & colocynthide, & polenta. Si uero Calacanthus, & origanum, & apij ſemen, & nigella ſuffumigetur, fugabuntur

buntur. Si uero cinerẽ quercinũ cauernæ appoſueris, incineratiſcabie infeſtãtur & necãtur. Si ferri limaturã, hoc eſt ramenta lima detrita, fermento ammixto depoſueris ubi abundant, ea guſtata moriẽtur. Si libeat mures excæcare, tithymalũ contuſam, & cum polẽta ac uino mulſo mixtã, ipſis appone, ubi enim ederint excæcabuntur. Anatolius autem & Tarẽtinus in libro de horreo, ad domeſticorum murium perditionẽ iiſdem uſi ſunt medicamentis. Si uero uno apprehenſo caput ipſius excoriaueris, & dimiſeris, reliqui fugabuntur. Pereũt etiam rubi radice cum butyro paneq́; ac caſeo mixta guſtata. Quidam ueratrum album & cynocrambes corticem tuſum & cribratum, cum polentis, & ouis, & lacte, in maſſam redigunt, eamq́; cauernis ipſorum immittunt. Mures fugantur Hæmatitæ lapidis ſuffitu, & myrica uiridi ſuffumigata. Anatolius autem amurcam in peluim æream infundere iubet, & in media domo noctu deponere, eoq́; facto omnes mures etiam in aliis domibus congregari adſerunt. Cui etiam Didymus ſuffragatur.

De Muribus arualibus. Apuleij. CAP. V.

APuleius admonet bubulo felle ſemina illinere, ut ipſa non contingãt mures. Melius eſt autẽ diebus caniculáribus cicutæ ſemẽ cum ueratro & polẽta: Aut ſilueſtris cucumeris aut hyoſcyami, aut amygdalarum amarum, & ueratri nigri, pares portiones contuſas polentæ miſcere, & oleo ſubigere, & cauernis murium ruraliũ apponere. His enim guſtatis moriũtur. Qui uero in Bithynia rei periculum fecerunt, rhododaphnes folia in foramina obdũt, quo mures prodire geſtientes illa dentibus cõtingant. Ex

contactu enim enecãtur. Chartam accipe & in ipſam hæc ſcribe, Adiuro mures omnes hic cõprehenſos, ne me iniuria afficiatis ipſi, neque alium ſinatis, Do enim uobis agrum hunc, & nominas qualem. Si uero uos amplius hic exiſtentes deprehendero, aſſumpta deorum matre, diſtraham uos in ſeptem partes. Hæc ubi conſcripſeris, chartam in regione ubi ſunt mures, ante ſolis ortum agglutinato, ita ut literæ foras proſpectent, ad lapidem ſponte naturæ productum. Hoc à me propterea adſcriptum eſt, ut ne uidear quid relinquere. Non probo autem omnia huiuſmodi, abſit. Imo omnibus idem cõſulo, ut ne ulli talium riſu dignorum animum aduertant.

De Fele. Sotionis. CAP. VI.

FEles auem nullam continget, ſi ſub alam ipſius ruta ſilueſtris ſuſpendatur.

De talpis. CAP. VII.

SI talpas perdere uelis, ueratrum album & cynocrãbes corticẽ tuſa & cribrata, cum polenta & ouis in uino & lacte rigata ac ſubacta, in maſſas cogito, eaſq́; cauernis ipſorum immittito. Aut caryinen ſiue aliud uas eiuſmodi anguſtũ accipe, & in ipſum paleas, & cedriæ quod ſatis eſt, ac ſulphur inijce, & in locũ ubi talpa habitat depone, & paruas quidẽ cauernulas obtura, ut ne per ipſas fumus penetret. In maiorem uero per quã ſpiritus ingreditur, infernã caryinæ partem ponito, & quodam modo ad cauernam coaptato, quo facto inſufflato, ut per fumum omnis cedriæ ac ſulphuris odor illabatur, & talpam ſuffocet, atque hoc modo ſingularum talparum latebras circumuenito, idemq́; facito, atque omnes diſperdes.

De

De Serpentibus, Florentini. CAP. VIII.

Serpẽtes in regione nõ erunt, ſi abſinthiũ, aut artemiſiam, at abrotonũ circa prædiũ ac uillam plantaueris. Qui uero iam ſunt, abigẽtur radicis lilij, aut cornu ceruini, aut ungularũ caprinarũ ſuffitu. Omne autẽ reptile fugabis, ſi laſeris ſuccum, & nigellã, & galbanũ, & cerui cornu, & hyſſopũ, & ſulphur, & pyrethrũ, & peucedanũ, & ungulas caprarũ miſcueris, deinde triueris, & acetum acre affuderis, factisq́; inde pilulis paruis, fumum & uaporẽ excitaueris. Sed et ſingula ex ipſis ſeorſim ſuffita reptilia exterminabunt. Quidã produnt punicæ ramum beſtias uenenatas & ſerpentes fugare, & ob id ipſum in ſtragulis apponere dignãtur, ſecuritatis gratia. Serpẽtes colũbaria non infeſtabũt, ſi in quatuor angulis inſcripſeris Adã. quod ſi feneſtras habeãt colũbaria, etiam in ipſis inſcribes. Democritus tradit ſerpentẽ nõ moueri, ibidis penna ipſi iniecta. Mori eundẽ quercus folijs ipſi iniectis, & ſi quis ieiunus in os ipſius inſpuat. Apuleius ait ſerpentẽ harũdine ſemel percuſſũ obtorpeſcere, ſæpius autẽ roborari. Idem tradit ſerpentẽ cauernam ſubeuntem, ſi quis ipſum ſiniſtra manu apprehẽdat ex cauda, facile extrahi. Verũ dextra id fieri non poſſe. Non enim remittit tractus, ſed aut effugiet, aut abrumpitur. Tarentinus ait oblitũ ſucco herbæ draconteæ ſerpentẽ non accedere, neque eos qui obliti ſunt ſucco aut ſemine raphani, & ſi guſtauerint tantũ nulla iniuria affici. Eos uero qui à ſerpente morſi ſunt, radicem roſæ alligatã ſeruare. Florentinus ait ſerpentẽ non accedere ubi iacet cerui adeps, aut centaureæ radix, aut gagates lapis, aut dictamnum herba,

aut aquilæ aut milui ſtercus. Eadem mixta cum ſtyrace & ſuffita reptilia abigunt. Morſis à uipera ſuccum foliorum fraxini præbibendum dato, ex uino quidem febre carentibus. Febricitantibus uero ex uino diluto. Folijs uero expreßis morſum integito. Aſpidi halicacabi radicem admoue, & ſoporabitur. Tribolum herbã aqua terito, & ipſam tribolum cauernæ indito, & ſerpentes fugabis. Si dolia à ſalſamentis inueterata circum prædium defodiantur, omne reptile in ipſa illabetur. Tu uero probe obturata extra fines ipſa exures.

De Scorpijs. Diophanis. CAP. IX.

SI ſcorpium unum captũ exuſſeris, etiam reliqui fugabũtur. Si quis autẽ raphani ſucco manus ſuas diligẽter illinat, intrepide et citra periculũ ſcorpios ac reliqua reptilia apprehẽdere poteſt. Ipſi uero raphani ſcorpijs impoſiti ſtatim ipſos interficiunt. Scorpij plagã ſanabis, argentei anuli ſigillo ad locũ appreſſo. Sandaracha cum galbano et butyro ſiue adipe caprino ſuffita, ſcorpios & omnia reptilia fugat. Si quis ſcorpiũ ipſum in oleo coquat, & locum à ſcorpio percußum inungat, dolorẽ ſedabit. Apuleius iubet percußũ à ſcorpio ſuper aſinũ ſedere ad caudã cõuerſum, & aſinum dolere ait pro ipſo, ac torqueri. Democritus ait percußum à ſcorpio, & ſtatim loquutum ad aſinum, Scorpius me percußit: nôn doliturum, dolore nimirum in aſinum tranſeunte. Naturalem contrarietatem habet Stellio aduerſus ſcorpium, Si igitur quis ſtellione in oleo liquefacto, ex ipſo oleo percußum inungat, à dolore ipſum liberabit. Idem tradit roſæ radicem adalligatam percuſſos à ſcorpio ſanare. Plutarchus

nucem

nucē auellanā lectulorū pedibus alligat, ut ſcorpius ipſos nō accedat. Nucem enim auellanā negat à ſcorpio adiri. Zoroaſtres ait lactucæ ſemē cum uino potatum percuſſos à ſcorpio ſanare. Florentinus prodit ſi quis in plagam recens percuſsi, fici ſuccum inſtillet, uenenum non ultra progreſſurum eſſe. Et ſi percuſsus ſcillam ederit, illæſus manebit, inſuperq; ſcillam ſapore dulcē eſſe confitebitur. Tarentinus ait, eū qui teneat ſideritim herbā uiuos ſcorpios tenere poſſe, ita ut ab ipſis nulla iniuria afficiatur.

De Formicis. CAP. X.

SI *formicas captas uſſeris, reliquas formicas fugabis, quæ res experimēto cōſtat. Si cedriam circū cauernas obleueris, formicæ aream non ingrediētur. Formicæ aceruum frugum non contingent, ſi terra alba aceruum circumſcripſeris, aut ſilueſtre origanū circumpoſueris. Expelles formicas ex cauernis ſuis, ſi cochlearum tegmina hoc eſt teſtas, cum ſtyrace uſſeris, & contuſas in agmen ipſarum conſperſeris. Similiter expelles formicas, origano & ſulphure tritis, & circum aceruos ipſarū adſperſis. Formicæ penitus intereunt, ſi ſuccum Cyrenaicum oleo diſſolutum ipſis affuderis. Formicæ non contingēt plantas, ſi truncos obleueris lupinis amaris cum amurca tritis aut coctis. Non contingēt formicæ uas mellarium, etiam ſi operculo caruerit, ſi albam lanam circundederis. aut terra alba, aut rubrica circunſcripſeris. Quidam ſuccum laſeris aceto dilutum truncis illinunt, & in foramina ipſarum infundunt. Si truncos uitiū hedera denſa obligabimus, reperientur paulo poſt formicæ. Imò etiam ſcarabei, ſub hederæ umbra, ita ut facile capi queant ac tolli.*

tolli. Intereunt penitus formicæ, radice ſilueſtris cucumeris ſuffumigata, aut Siluro maxime Alexandrino ſuffito ad lentum rogum. Vna formica ſublata, aliæ ultro relinquent latebram. Si quis granum tritici quod à formica geſtatur, pollice ſiniſtræ manus apprehenſum, in pellem puniceam mittat, et capiti mulieris alliget, ſterilis erit quæ id geſtat. Quòd ſi formicæ exurantur, aliæ odore ipſarum diffugiẽt. Audire autem memini, quòd formicam mortuam altera formica in humeris geſtat ac effert. Arcebis formicas, felle taurino & pice cum amurca mixtis, indeq; illito trunco. Idem facit & rubrica & pix, mixta ac illita. Quidam piſcem appellatum Coracinum ex arbore ſuſpendunt, atque ſic formicas diſperdunt.

De culicibus. Democriti. CAP. XI.

CVlices perdit pilus equinus extentus iuxta ianuam & per mediam domum, & non permittit ipſos introire. Exigit eoſdem calacantha & nigella ſuffitu. Si ſpongiam acri aceto imbutã à capite ſuſpenderis & ſub pedes, culices te non cõtingent. Fugabis eoſdẽ rutam madefaciens, & domum reſpergens. Item Conyza cocta, & domo ex decocto reſperſa. Aut galbani ſuffitu, aut ſulphuris aut cymini. Si canabis humidæ ramum florentem iuxta te pones dormiturus, culices te non contingent. Nec etiam accedent te, ſi mannam ſiue micas thuris cum aceto & oleo illeueris. Fugantur item aceti ſimplicis & origani uapore ac nidore. Stercus bubulum ſuffitum & muris ſublitum, culices eliminat. Idem continget ſi ex inulæ ſextante, & muricum uſtorum drachmis duabus, amicula ſuffumigaueris. Spongia aceto imbuta ſi

ex

ex faſtigio domus ſuſpendatur, omnes culices illic cõgregabit. Culices *moleſti non erunt ei qui cannabem in lecto ſubſtratum habet.* Rutam *aqua macerato, aut conizam coquito, indeq́; domum irrorato, & culices exterminabis.* Exiguntur *item bdellij ſuffitu.*

De Muſcis. Berytij. CAP. XII.

L*Aurus cum ueratro nigro contuſa, & in lacte, aut paſſo, aut aqua mulſa macerata, aut in aqua contemperata, muſcas necat.* Si *uero caßiam triueris cum oleo, & illeueris, te non accedent.* Si *uero exigere ipſas ſit animus, calacantham ſuffumigato.* Similiter *autem & foliorum ſambuci decoctum reſperſum ipſas fugat.* Anatolius *ait,* Si *muſcas in unum locũ congregare uelis, ſcrobem facito, & rododaphnas contuſas in ipſum mittito, iſthicq́; uniuerſas congregabis.* Muſcæ *non infeſtabunt boues, ſi lauri fructum oleo incoctum ipſis illines.* Ex *toto autem brutis non inſidebunt, ſi leonino adipe illinãtur.* Veratrum *cum lacte aut ſapa, auripigmento addito, maceratum & reſperſum muſcas perimit.* Si *uero alumen & origanum trita illeueris, non inſidebunt.*

De Veſpertilionibus. Africani. CAP XIII.

IN *uijs publicis platani folia ſuſpendes, & ueſpertiliones non ingredientur.* Occidit *ipſas hedera ſuffumigata.*

De Cimicibus. Dydimi. CAP. XIIII.

PIx *liquida & ſilueſtris cucumeris ſuccus in lectos mißa, cimices necãt.* Similiter *& ſcilla cõſecta atque aceto trita, ſi inde lectus per ſpõgiã illinatur.* Similiter *citriorum folia cum oleo coquito, & lectorum commiſſuras illinito.*

illinito. Aut fel tauri aut hirci acri aceto dilue, indeq́; lectũ ac parietes illine. Idẽ cõtingit ſi oleũ antiquũ & ſulphur uiuũ triueris, ac lectis illeueris. Nõ erũt cimices, ſi glutẽ piſciũ coctum grabatis illeueris. Eos uero qui iam ſunt perdes, ſi amurcam coctam felle bubulo mixtam cum oleo ipſis adſperſeris. Aut hederæ aut capparis folia oleo diſſoluta lectis illeueris. Hoc medicamine etiã qui in pariete ſunt cimices tollẽtur. Efficax autẽ pharmacũ præparatur hoc modo. Staphidis ſylueſtris acetabulũ, ſcillæ in tenues partes ſectæ tãtundem, aceti acris cochlearium unũ, ſimul terũtur hæc, deinde calcfiũt, et ſic locus illinitur. Et cedriæ partẽ unã, paßi partibus quatuor permiſcebis, ac illines. Idẽ facit & capræ aut uituli fel, cũ pari modo paßi ac aceti. Florẽtinus ait cimices ſuffitu hirudinũ necari, ſi grabatũ operimentis contegatur, ut uapor tranſpirare non poßit, & uice uerſa hirudines interfici cimicum ſuffitu. Scolopendra etiam ſiccata & ſuffumigata idem facit. Et hederæ folia trita ammixtis hirudinibus decem. Democritus ait pedes leporis aut cerui, circa fulcra lecti alligatos, iuxta dorſum quo te reclinas, nõ ſinere cimices naſci. At uero in profectionibus, ſi uas aqua frigida plenum ſub lectum poſueris, cimices te non contingent dum dormis. Etenim calidæ affuſio, qua omnes utuntur, eos quidem qui occurrunt perdit. Verum non eſt impedimento quo minus uelociter regenerentur.

Ad Pulices in domo. Pamphili. CAP. XV.

SCrobẽ facito & rhododaphnas cõtuſas in ipſum mittito, iſticq́; omnes concurrent. Abſinthium, aut cucumeris ſylueſtris radix, aqua marina rigata ac reſperſa,

ſa,pulices necant. Diſperdit autem ipſos penitus Melanthium aqua maceratum ac reſperſum. Aut conyzæ coctæ decoctum irroratum. Diſperdit eoſdem ſimiliter ſemen ſinapis & rhododaphnes, ambo ſtruefacta et in domo reſperſa. Calcem uiuã cribrato,& poſtquàm locum uerreris inſpergito,indeq́; necabũtur. Idem cõtinget ex amurca pauimẽtis aſsidue irroratis. Cyminum item ſylueſtre tritum ac aqua mixtũ,& ſeminis cucumeris ſylueſtris drachmæ x. tritæ & in aquam demiſſæ,indeq́; domo reſperſa,pulices crepare faciunt. Item chamelææ radix, & populi nigræ folia tuſa & aqua macerata,& tribolus ex aqua cocta. Pulices etiam muria acris reſperſa, & aqua marina enecat. Quòd ſi in media domo quis peluim deponat,& circulũ machæra penitus ferrea circũſcribat,præſtat autẽ ad hanc rem machæra qua homo occiſus eſt,& reliquã domum,præterquàm locum circunſcriptũ, cremore ſtaphidis ſylueſtris, aut lauri foliorum tuſorum cõſpergat,aut etiã muria, aut aqua marina cocta, omnes pulices in peluim cõgregabit. Fictile quoq; uas defoſſum ita ut labra æqualia pauimento habeat, & adipe taurino oblitum, omnes pulices in ſeſe cõgregabit, etiam eos qui adhuc in pallijs deliteſcũt. Si quando autem in locum ingredieris in quo ſunt pulices,och och uociferato,& non contingent te. Sub lecto paruulum ſcrobem facito, & in ipſum ſanguinem caprinum mittito,congregabitq́; pulices iſthic, & ex alijs ueſtibus, ad ſe illiciet ac uocabit.

Cæterũ ex amphimallis & dẽſiſsimis tapetibus,in quibus plurimi pulices deliteſcũt,eximi ac euocari poſsint, ſi ſic in urna aut dolio ipſe ſanguis caprinus deponatur.

De

De Cantharidibus. CAP. XVI.

CAntharides non lædent uites, ſi ipſas cantharides oleo maceraueris, indeq́; cotem illeueris, in qua falcem exacuere ſoles, qua uites putantur. Si uero galbanum cum ſtercore bubulo ueteri exuſſeris, ipſas fugabis. Et cucumeris ſilueſtris radices ſi ſuffumigaueris, eas ſimiliter exterminabis. Ariſtoteles autem prodit roſarum odore Scarabæos necari. Vultures autem odore unguenti. Hæc enim graueolentia ipſis eſſe confirmat. Pleriq; autem uitium truncos iuxta terram hederæ corona circundant, & inueniunt ipſas ſub hederæ umbra, & ſic perdunt.

Ad Sanguiſugas ſiue hirudines. Anatolij. CAP. XVII.

SI bos aut quadrupes inter bibendum deuoret hirudinem, cimices cõtuſos animali olfaciendos præbeto, & ſtatim excident.

De Ranis. Africani. CAP. XVIII.

RAnæ tacebunt & uociferari deſinent, ſi lucernam accenſam ad ripam poſueris.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XIIII.

HAEC inſunt in hoc libro, qui decimuſquartus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionem de columbarum, & auium, tum in aëre, tum in terra degentium nutricatu, & cura, iuxta ſubſcriptorum capitum narrationem.

De

De columbis. Florentini. CAP. I.

QVi agriculturæ ſtudio tenentur, his ualde utilis poſſeßio eſt columbarum, maxime propter ſtercorum ipſarum commoditatem, deinde propter pullos quorũ uſus adeo neceſſarius eſt his qui uires à morbo recolligunt. Habet autem poſſeßio harum non modicum reditum. Duobus enim tantum mẽſibus hyeme à dominis ſuis nutriuntur: reliquo tempore anni foris pabulũ ſibi quærunt. Et eſt aliàs animal natura fœcundum & multæ ſobolis. In omnibus enim quadraginta diebus & prægnãs eſt, & parit, & fouet ac incubat, & enutrit, atq; hoc ferè per totum annum facit, tantum à ſolſtitio hyberno uſq; ad æquinoctiũ uernum ceſſans. Reliquo anno parit. Eſtq́; uidere eaſdem columbas, nondum perfecte primis pullis educatis, oua pariẽtes, ouaq́; fouẽtes. Et fœtus ipſarũ perfecti, ſtatim cum matribus parere incipiunt. Gaudet autem hoc animal cicercula, eruo, fœno græco, piſo, lente, frumento, & lolio in ipſo naſcente. Prohibendæ ſunt columbæ ne euolent, ut neque alibi nidificent, neque diſtrahantur propter egreſſum, ſed circa columbarij locum exerceantur. Si uero quandoque indigent alimento, ſolummodo quæ pullos habent, emittantur. Hæ enim ſaturatæ reuertuntur.

Vt columbæ non fugiant, ſed ſobolem amore complectantur.

Didymi. CAP. II.

IAnuas & feneſtras, & angulos columbarij oleo balſamino illine, & manebunt. Non fugient columbæ, ſi cuminum & lentem in aqua mulſa macerata obieceris. Et ſi aquam mulſam dederis in potu, aut lenticulam per ſe

paſſo coctam edendam præbueris, amorem prolis in ipſis excitabis. Præparatur etiam ad hoc ut colūbæ non fugiant eiuſmodi philtrum. Teſtæ tuſæ ac cribratæ, & coſtus, & uinum uetus odoratum ſimul mixta exhibentur proditu=ris ad paſcua. Quidam farinam ordeaceam coctam ficu=bus aridis ammiſcent, & addita mellis parte proponunt. Alij cuminum ad paſcua ituris offerunt. Columbæ per=manent; ſi ueſpertilionis caput ſupra turrem poſueris. Aut uitis ſylueſtris ramos unà cum floribus pro temporis occa ſione in columbarium depoſueris.

Vt columbæ maneant, & alias peregrinas ſe=cum adducant. CAP. III.

SI *unguento illeueris columbas, & alias externas indu=cēt. ſi uero cuminum obieceris ad paſcua exituris, tum ipſas retinebis, tū alias multas cum ipſis uenire facies, un=guēti odore ductas. Si uero uiticis ſemen acceperis, & uino uetere per triduū maceraueris, deinde autem eruū ui=no illo rigaueris, & colūbis obieceris, ipſasq; ſtatim euola re permiſeris, externæ colūbæ ſpiritus fragrantia percepta omnes in columbariū uenięt. Citius autem ingredientur, ſi ſaluiam cum thure in columbario ſuffumigaueris.*

Vt feles columbas non infeſtet. CAP. IIII.

IN *feneſtras & ingreſſus, aliosq; plures columbarij lo=cos, rutæ ramulos deponito & ſuſpendito. Habet enim ruta naturalem quandam contrarietatē aduerſus beſtias.*

Vt ſerpens non accedat columbarium. Democriti. CAP. V.

SErpentes *non infeſtabunt columbarium, ſi in qua=tuor angulos columbarij inſcripſeris Adam. quod ſi*

feneſtr

feneſtras habuerit, etiam in ipſis ſcribes. Serpentes autẽ eliminabuntur peucedani ſuffitu.

De columbario. Quintiliorum.

CAP. VI.

COnſtruenda eſt domus tempore ſereno, & aduerſus beſtiarum acceſſum munita, & diligenter oblita. Conſtruendi ſunt & in parietibus nidi crebri à pauimento uſque ad faſtigium, quos aliqui σηθροὺς uocant. Nos autem κηθρίνους nominamus, in quibus coniugatas columbas uerſari ac parere oportet. apponantur autem ſingulis nidis aſſeres, ut per ipſos tranſitus fiat. Effodiatur autem in domo lauacrum quoddam amplius, quo & bibere & lauari poſſint, ne occaſione præbẽdæ aquæ homo frequenter columbas perturbet. quod ualde damnoſum eſt. Non tamẽ omnino reprobãdus eſt hominis acceſſus. Nam & uerrere domum aliquãdo neceſſariũ eſt, & ſtercus euehere, & ſi quid affectum eſt intus reſarcire ac obumbrare, ut neq; ſerpentes, neq; alia reptilia damnum dare queant. Cæterum ego reptilium acceſſum prohibere uolens, proprium locum deligo, qui non habeat domos propinquas, ſed procul diſtantes, & columnas transfero pro magnitudine extruendi operis, easq́; ſtatuo non in directum, ſed circulariter, deinde ſupra columnas capita impono, poſtea ſuper capita columnarum alias columnas ligneas ualde præſtantes impono, & ſuper columnas in circuitu duas domunculas extruo altitudine cubitorum ſeptem, facioq́; in parietibus, ab occaſu quidem feneſtram unam lucis gratia, ab ortu uero aliam, in qua colloco cohibitorem ſiue cuſtodem appellatum, qui cohibet columbas, & unde columbas ad pa-

ſcua exire oportet. À *meridie autem conſtituo ianuam per quam ingrediatur is qui auium curam gerit.* Atq; *hoc modo illæſas columbas conſeruo.* Neque *enim poſsibile eſt reptilia per columnas aſcendere poſſe, quum ſint ualde diligenter oblitæ, tectorioq́; inducto explanatæ.* Neq; *feles, neq; aliud animal inſidias ſtruere poteſt aut aggredi, quũ non ſint domus in propinquo, è quibus inſidiari queant.* Oportet *autem eum qui columbarium inſtituere uelit, nõ à iuuenibus columbis auſpicari, ſed à matribus.* Decem *autem paria ſuffecerint ad conſtitutionem.* Cito *enim multiplicantur.*

De Gallinis. Florentini. CAP. VII.

D*Omeſticas gallinas in domibus calidioribus & anguſtioribus nutrire conuenit, in quibus fumus adnaſcitur.* Verum *in parietibus nidos conſtruemus in quibus pariant, ex tabulis cõpoſitis, et paleis ſubſtratis, ut delabẽs ab ipſis ouum non in ſiccum feratur, & rumpatur.* Oportet *item perticas parietibus infigere, in quibus gallinæ pernoctent.* Cibus *obijciatur ipſis ptiſana cocta, milium, furfures frumẽti, lolium quod & zizaniorũ nomine uenit, hoc enim optimum alimẽtum præbet, & cytiſi folia humecta, hæc enim & durabiles ipſas faciũt.* Quum *uero oua pariunt, maxime obſeruare oportet, ut ne uinacea edãt, fœcũditatẽ enim ipſarũ ſupprimunt.* At *uero quæ oua comedere ſolẽt, ſic deſueſcent id facere.* Oui *candidum euacuetur, ad uitellum autem, hoc eſt croceum oui, gypſum liquidum infundatur, ut in teſtæ duritiam tranſeat.* Etenim *ubi à guloſitate ſtimulabũtur, & nihil amplius reperient, cito abſtinebunt ab ouorum uaſtatione.* Pingueſcunt *autem maxime ab*

me ac craſsiſsimæ fiunt, in domo tenebricoſa & calida nutritæ, pennis præpetibus, quas græci ocyptera uocãt, euulſis, oblatoq; cibo farinæ ordeaceæ aqua ſubactæ. Alij ordeacea & loliacea farina utuntur. Aut ordei & ſeminis lini cruda farina. Quidam etiã polentam ammiſcent. Aliqui his & uinum affundunt. Quidam panem frumentaceum bonum madefactũ præbent. Plurimi milio enutriũt. Cæterũ qui gallinas alere uult, quàm fœcundiſsimas ex eis eligere debet, quæ res ex uſu & experimento condiſcitur, Imò & ex alijs quibuſdam ſignis. In uniuerſum enim flaueſcẽtes, & impares digitos habentes, & oculos magnos, & criſtam erectam, & nigris pennis præditæ, itemq; magno corporis mole conſpicuæ tum mares facile ferunt, tum ad oua parienda præſtantiores ſunt, pariũtq; oua magna, ex quibus etiam pulli generoſi excludũtur. Verum ſupra quinquaginta gallinæ in domo non ſunt nutriendæ. Corrumpũtur enim locorũ anguſtia. At uero multitudinis gallinarum ſexta pars ſint galli. Quæ uero pariũtur oua accipere conuenit, & cõponere in uaſa cum furfuribus. Quum autem oua incubare gallinas uolumus, puræ paleæ ſubſternantur impoſito in ipſas ferreo clauo. Hoc enim auxilium eſſe uidetur aduerſus omnem maliciam. Supponantur autem optimæ gallinæ non plura quàm uiginti tria oua: ei uero quæ talis non eſt, pauciora, iuxta unamquanq; naturam. Semper tamen inæqualem numerum eſſe oportet, & augeſcente luna ſupponere, hoc eſt à natiuitate eius uſque ad lunam decimamquartam. Quæ uero ante nouilunium ſuppoſita ſunt corrumpuntur. Supponenda autem ſunt oua maxime à fauonij flatu ædita, uſque ad æquinoctium autumni,

hoc eſt à ſeptima Februarij, ad uigeſimam ſecundam ſeptembris. Quapropter dum pariuntur ſeorſim reponenda ſunt, quo ex his pulli educentur. Quæ uero ante hoc tẽpus aut poſtea edita ſunt, & primogenita omnia minime ſupponantur. ſterilia enim & imperfecta exiſtunt. Tẽpus ſupponendi oua optimum ab æquinoctio uerno eſt, hoc eſt à uigeſima quarta martij menſis. Supponantur autem ætate prouectioribus, non uigoroſis & parere potentibus. Vigoroſiſſimæ enim ſunt ad parienda oua anniculæ, maxime uero biennales. Minus ualent his ſeniores. At uero gallinæ aculeos habẽtes ſimiliter ut galli, prohibẽdæ ſunt ab ouorum incubatu, perforant enim oua. Poſtquam autem compoſita ſunt oua, adhibendæ ſunt gallinæ & includendæ, quo per totum diem ac noctem inſeſſu ſuo foueant ipſa. Mane autẽ ueſperiq; emittantur, & cibus obijciatur. Quæ uero non ſua ſponte inſcendunt ac inſident, cogantur. Et qui ad hoc ordinatus eſt, interiectis aliquot diebus oua cõuertat, ut undiquaq; æqualiter foueantur. Cognoſcuntur oua an quod in ipſis eſt fœcundum habeant, ſi poſt quartum diem ab incubatu ad ſplendorem ſolis contempleris. Si enim quid fibroſum tranſiens apparuerit, & ſubcruentum eſt quod ineſt, fœcundum exiſtit. Si uero pellucidum fuerit, ut ſterile eijciatur, & pro reprobatis alia ſupponantur. Nihil autem uereri neceſſe eſt, ne oua corrumpantur, ſi ſæpe leniter conuertantur. Nihil enim inde læduntur. Porrò non unam ſolum gallinam eadem die ouis incubare oportet, ſed tres aut quatuor. Excluſi autem pulli ſtatim ab unaquaq; gallina ſubtrahendi ſunt, & ſubijciendi ei quæ paucos habeat. Oua uero non excalpta, in eas quæ ad hũc

incub

incubant diuidantur, quo cum alijs fota uiuificentur. Et tamen ei quæ paucos pullos habet, non plures quàm triginta ſummittantur. Infeſtiſsimum eſt enim gallinarum genti frigus. Experieris autem an utilia ſint oua hoc modo. Mittes ipſa in aquam, defectuoſum enim innatat ut inutile. plenũ uero deorſum feretur. Neq; enim experimenti ſumẽdi gratia oua concutere oportet, ut ne quod in ipſis uitale eſt corrumpatur. Quandoquidem uero etiã alterius generis oua quidam domeſticis gallinis ſupponunt. Sciendũ quòd gallina oua phaſiani ſimiliter ut propria per dies uigintiunã excudit. Pauonis uero & anſeris per dies uiginti nouem. Coniecturam igitur faciunt qui hæc ad prædicta ſupponunt, quo ſeptem aut octo diebus prius ſupponãtur, atque ita ſimul excudantur. Sunt autem in Alexandria Aegypti, gallinæ Monoſiri, ex quibus pugnaces galli generantur, quæ bis aut ter oua incubant conſequenter, ita ut perfecti pulli ſingillatim auferantur, & ſeorſim nutriantur, & gallina incubet quadraginta duobus aut etiam ſexaginta tribus diebus.

Quomodo poſsibile ſit etiam citra gallinam pullos excludere. Democriti. CAP. VII.

HAbebis pullos multos citra incubationẽ gallinæ hoc modo. Quando incubanti gallinæ oua ſupponis, eadem die gallinaceum ſtercus tenuiter tuſum & cribratum in uentriculos mitte, eiq; gallinarum pennas circumpone, & ſuper has oua recta impone, acuta parte ſurſum uergente, deinde ſuper hæc rurſus idem ſtercus inijce, donec undiquaq; ſint cõtecta: quo facto primos duos aut tres dies ſine, de cætero ſingulis dieb. cõuerte, ãiaduerſione habita ut

oua inter ſe non collidātur, et æqualiter ut foueantur. Poſt *uigeſimum autem diem, quādo ſanè pulli oua aliâs gallinæ ſuppoſita percudere incipiũt, reperies etiã oua in uentriculis circunrupta, ob quam cauſam etiã ſcribunt diem in qua poſita ſunt, ut circa numerũ non fallantur.* Vige*ſima itaq; die teſtam adimito, & pullos eximito, in cophinumq́; poſitis gallinam inducito, & omnia rite gubernabit.* Quo *uero alimentum habeant, fermẽtum ordeaceum & furfures aqua ſubigito.* Et *aſininum aut equinũ ſtercus in uentriculos inde, & poſt triduum uermiculi generabuntur, qui alimentum pullis abunde præbere poſſunt.*

De pullorum nutricatione. Didymi.

CAP. IX.

PVlli *primum quidem ſtatim in corbem ſiue cophinum miſsi ſuper modicum fumum ſuſpenduntur.* Cib*um autem biduo non accipiũt.* V*as in quo cibus proponitur bubulo ſtercore claudatur.* Cib*um quidem quindecim diebus capiunt, polentam cum naſturtij ſemine uino & aqua macerato, aut etiam cocto, ſed & porri tenerrima folia cum caſeo recenti tuſa offerimus.* Or*deum autem poſt ſextum diem offeratur.*

De phaſianis, & Numidicis, & perdicibus & Attagenis. Varronis. CAP. X.

ET *has quidem uolucres ſimiliter educare conuenit, uelut de pauonibus docuimus.* Pingue*ſcunt incluſæ ita ut prima die accipiant cibos. Sequenti uero aqua mulſa aut uinum potens apponatur.* Cib*us ſit cruda ordeacea farina aqua ſubacta, particulatim autẽ apponatur, & paulatim.* Deinde *faba freſa molita & ptiſana, & milium integrũ,*

& ſem

& ſemen lini coctum, & ſiccum cruda ordeacea farina mixtum. His etiam oleum adijcere potes, maſſasq́; ex ipſis facere, easq́; cibi loco offerre, ut inde ſaturentur. Quidam etiam fœnũ græcũ ad dies quinq; aut ſex obijciunt, bilem purgare ex uolucribus his cupientes. Pingueſcunt ut plurimum diebus ſexaginta. Curantur autẽ & hæc gallinarũ genera, medelis ac remedijs in domeſticis gallinis relatis.

De perdicibus. Berytij. CAP. XI.

PErdices natura calidiſſimæ & ad coitum feruentiſſimæ exiſtunt, unde mares ipſarum zelotypia moti inter ſe decertant. Quandocunque igitur fœminis præſentibus duo mares reperiuntur, ſtatim ad pugnam deueniunt, neq; prius certamen diſſoluitur, quàm alter ipſorum ſuperatus ſecedat. Qui igitur ſuperior apparuit, hunc omnes fœminæ de cætero ſequuntur, atq; hic ſuperbiens uictum uelut fœminam ſalit, & de cætero ille in fœminarum ordinem redactus ſequitur uictorem.

De uenatu perdicum & reliquarum auium. CAP. XII.

PErdices facile uenaberis, ſi farinam uino madefactam obieceris. omnis auicula facile corripitur, ſi uinũ aqua dilutum uinoſius tamen, in uaſculis propoſueris. Vbi enim uel parum inde biberint, ſoporantur, & obſtupeſcunt.

De anſeribus. Quintiliorum. CAP. XIII.

ANſeres eligendi ſunt maximi & quàm albiſſimi. Mãſio ſiue hara anſeraria, quam chenoboſceum Græci appellant, conſtituatur in loco paluſtri & aquoſo. Cibus offeratur ex omnibus leguminibus, eruo excepto. Danda ſunt & lactucæ folia. prohibeantur autem à graminis eſu,

Cruditatis enim cauſa eſt. Pariunt oua ter in anno uſq; ad x i i. aliquando etiam plura, & ex his aliqua ſupponenda ſunt gallinis. Pullos ipſorũ primis decem diebus intus manere oportet. Vbi autẽ ſerenitas extiterit, ad paſcua producimus, & ad aquam ubi iam cibo ſatiati ſunt producantur, proſpiciendumq́; ne ab urtica aut ſpina aliqua pungantur. Similiter obſeruandũ ne hœdi aut porci pilos deuorent. His enim deuoratis intereunt. At uerò ſtatim ut ex ouis prodeunt pulli, polenta & frumentũ madefactũ cibi loco obijciantur, & naſturtium uiride. Anſeres ipſi pingueſcunt in domibus calidis, polentæ partibus duabus & furfurũ partibus quatuor, aqua calida ſubactis et obiectis, ut inde quantũ uelint edant. Ter die cibũ ſumunt, & circa mediam noctẽ. Bibunt largiter. Verũ poſtquam magni euaſerunt, caricas ſiccas in tenuia ſegmenta cõciſas & aqua ſubactas, per dies uiginti in potu exhibe. Oportet aũt uniuſcuiuſq; anſeris oua per characteres quoſdam notare, & hæc matri ſupponere. Aliena enim non ſolet hoc genus fouere. Oua ſupponantur uſq; ad nouem. Incubat autẽ utplurimum diebus uiginti nouem. frigore exiſtente diebus triginta. Quibus diebus incubat, ordeum aqua maceratum offeratur. Poſt dies triginta ſi quis iocinora ipſorum magna efficere uelit, caricas ſiccas in tenuia fruſta conciſas aqua ſubigat, & per dies uiginti aut minimum x v i i. in os ingerat. Quidam ut magnum faciant hepar, ſitq́; ipſe anſer pinguis, ſic nutriunt. Incluſo nimirum frumentum maceratum obijciunt, aut hordeum eodem modo. frumentum enim cito pinguefacit. Hordeum uerò carnem albam facit. Paſcatur autem ex prædictis ſpeciebus ſingulatim

latim, aut etiam utriſq;, ad dies uigintiquinq;, bis per diem oblatis collyrijs inde factis, ita ut ſeptem collyria ſingulis primis quinq; diebus offerantur, conſequenterq́; paulatim numerus augeatur uſq; ad dies uiginti quinq;, ut ſint dies ex toto triginta. Quibus impletis maluas feruefacies, et decocto eius adhuc calido fermentum madefactum exhibebis, atque id facies quatriduum. Iiſdem etiam diebus aquam mulſam offeres, ter ſingulis diebus ipſam permutans, & non eadem utens, & ſic in ſequentibus uſque ad ſexaginta diebus, aridis ficis contuſis cũ prædicto fermento uteris in eorum alimentum, contingetq́; tibi poſt dies ſexaginta, & ipſo anſere, & hepate eius, tenero ac albo uti, quod ſanè exemptum in uas amplum mittendum eſt, in quo calida ſit aqua, quæ etiam iterum atque iterum eſt permutanda. Præſtant autem fœminarum tum corpora, tum iocinora. Sint uerò anſeres non anniculi, ſed duorum annorum uſque ad quatuor.

De anatibus. Didymi. CAP. XIIII.

ANates nutriantur intra ſepta probe munita, ut non ſit occaſio auolandi. Lacus autem ſiue piſcina præparetur ipſis in quo gramen conſeratur. Cibus detur in aquæ canalem, frumentum, aut milium, aut hordeum, aut uinacea illis ammixta. Per tempus etiam aliquod & locuſtæ, & ſquillæ, & quæcunq; paluſtria aut fluuiatilia his ſimilia in cibo accipere ſolent. Cæterum aliqui magis cicures habere anates uolentes, oua ipſarum circa ſtagna perquirunt, eaq́; gallinis ſupponũt, excluſosq́; pullos educant, & manſuetos habent. pingueſcunt anates largiore alimento, quemadmodũ pleraq; uolucrum genera. Si uerò

quis

quis locum obſeruet, ex quo potum ſumunt, & euerſa aqua uinum nigrum immittat, ubi id hauſerint cadent, & prehendi facile poſſunt. Idem & uini fex præſtat.

De turturibus, & coturnicibus, & turdis, reliquiſque paruis uolucribus. Eiuſdem. CAP. XV.

PIngueſcunt quidem turtures milio & panico, itemq; largo potu. Gaudent autẽ & tritico, & pura aqua. Coturnices autẽ milio, frumento, lolio, & aqua pura ſaginantur. Quandoquidem uerò coturnices ueratro ueſcentes, non tute ſatis in cibo accipiuntur, quòd earum eſus & diſtentionem & uertiginem inducat, ea ſanè gratia milium cũ ipſis coquere cõuenit. Si uerò quis ab earũ eſu, iam apprehenſus ſit his affectionibus, milij decoctum commode biberit. eandem uerò uim & myrti baccæ habent. Hæc etiam in letalibus fungis acceptis magnifice proſunt. Verum milium etiam aliam quandam naturalem uirtutem habet. Si quis enim panem miliarem præſumpſit, nunquàm à ueneno noxam incurret. Turdi porrò in calida domo nutriuntur, perticis domunculæ eius parietibus infixis, et lauri ramulis aut etiã alijs, in angulos poſitis. Verũ in pauimento puro cibus obijciatur, hoc eſt, ficus aridæ aqua maceratæ & expreſſæ, tuſæq;, & farinæ triticeæ aut hordeaceæ ammixtæ. Myrti etiam baccæ, & lentiſci, & hederæ fructus, itemq; lauri & oleæ, & quæcunq; eiuſmodi. Pinguiores autem ipſos reddet milium & panicum, & puriſsima aqua. Quin & paruæ auiculæ milio & panico gaudent. Suffumigatur autẽ domus ex aliquo unde reptilia fugantur. Vſq; ad quadrageſimũ diem omnino ſub tegmine

gmine ſint, & in domuncula ualde calida connutriantur. Eſt enim infeſtiſſimum uolucrium generi frigus.

Vt oua inſcripta facias. Africani. CAP. XVI.

GAllas & alumen cum aceto terito, donec atramenti ſpiſſitudinē habeant, et ex hoc quicquid libuerit ouo inſcribito, & poſtquam ſcriptura in ſole fuerit aſſiccata, ouum in muriam acrem demittito, & reſiccatum coquito ac decorticato, & reperies inſcriptionem. Si uerò cera intexeris ouum, & inſcripſeris donec teſta apparuerit literas exarando, deinde permiſeris aceto macerari per noctem, & ſequēti die cerā abſtuleris, reperies literarū figuram de aceto conſpicuam & tranſparentem redditam.

Vt gallina magna oua pariat, & de cuſtodia ouorum. Leontij. CAP. XVII.

MAgna oua parient tibi gallinæ, ſi teſtam laconicam tuſam furfuribus & uino ammiſcueris, & ſubacta gallinis obieceris, Aut teſtæ tuſæ acetabulum unū ad duas furfuris chœnices ammiſceto, & in cibū proponito. Quidam magna oua ſibi generari cupientes, rubricā diſſolutam cibo earum ammiſcent. Non abortiunt autem, ſi candidum oui aſſatū, & uuæ paſſæ edulis toſtæ tantundē, ſimul triueris & appoſueris ante alium cibum. Aliqui domunculas & nidos purgant, imò etiam ipſas gallinas ſulphure & bitumine & tedis. Sed & ferri laminam aliquam, aut clauorum capita, & lauri ramulos nidis imponunt. Hæc enim aduerſum prodigioſos ac monſtroſos partus auxiliaria pharmaca eſſe putantur. Oua ipſa ſeruabis hyeme quidē in paleis, æſtate in furfuribus. Alij aqua abluta oua, ſale tenui intingunt, & ſic conſeruant. Quidam ad tres

aut quatuor horas in muriam tepidam mergunt, deinde extracta in ſurſures aut paleas deponunt. Attamẽ *ei quod in muriam aut ſalem impoſitum eſt pars aliqua decedet. Cæterum plenum ouum, aut non plenum, cognoſces ex immiſſu in aquam, defectuoſum enim innatabit, plenum deorſum demergetur.*

Vt gallina non ſit grauedinoſa.

Eiuſdem. CAP. XVIII.

ORiganum madefacies & cremorem in potu exhibebis, aut urina lauabis, aut allio nares illines, aut in aquam coniectum allium potandum præbebis.

Vt gallinæ tenebris offuſis uertiginoſæ fiant. Berytij. CAP. XIX.

LAſer & mel miſceto, & in ipſis frumentum macerato, idq; gallinis obijcito.

Vt non abortiant gallinæ.

Pamphili. CAP. XX.

GAllinas nõ abortire facies, ſi oui candidum aſſatum, & uuæ paſſæ toſtæ tantundẽ, ſimul triueris, & propoſueris ante alium cibum.

Vt gallina à fele non lædatur.

Africani. CAP. XXI.

FEles gallinas non contingent, ſi ſub alam ipſis ruta ſylueſtris ſuſpendatur. Similiter autem neque uulpes, neq; aliud aliquod animal ipſas continget, & multò magis ſi uulpis aut felis fel cibo ammixtum exhibueris, ut etiam Democritus confirmat.

De Gallis. Florentini. CAP. XXII.

ELigendi ſunt galli pugnaciſsimi. Deprehenditur autem

tem hoc ipſo uſu & experimento, ampliusq́; ex alijs quibuſdam ſignis. Optimi enim ſunt galli contractam corporis molem habentes, & puniceã criſtam, & breue roſtrũ, aſpectũ itidem pulchrum, & rauos oculos ſiue nigros, & barbã ſiue paleam roſam colore refcrentẽ, ceruicemq́; bene compactam & coloribus uariegatam, crura ſquamoſa craſſa magis quàm lõga, ſtimulis ipſorum ſolidis, & aculeos ualde acutos habẽtibus. Caudæ autẽ ipſorum magnæ & denſæ. Ad hæc omnia iracundi ſint, multum uocales, quibus in prælijs difficulter alij reſiſtant, ita tamen ut ne ipſi pugnam auſpicentur, ſed aggredientibus fortiter repugnent, deq́; ipſis ulciſcantur. Sed neq; malefica ac noxia animalia fugiant, uerum talia fœminas impetentia ab ipſis arceant ac propellant. At uerò gallis cytiſi ſemẽ, & folia humida, aqua macerata in cibo exhibenda ſunt. Non minus enim quàm uiridia ipſos alunt.

Variæ gallinarum medelæ.

Paxami. CAP. XXIII.

OCulum gallinæ curabis, muliebri lacte aut portulacæ ſucco, oculis forinſecus illitis. Aut ſalem ammoniacũ, & cuminum & mel, æquis portionibus, contuſa ſimiliter illinito. Ipſas uerò ſub umbram deducito. Alui profluuio medeberis, polentæ manus plenæ menſura & ceræ pari copia, uino ammixtis, & in maſſas coactis, ſi has ante reliquum cibũ præbueris. Aut malorũ ſiue cotoneorũ decoctum in potu exhibueris. Eadẽ etiã aſſata proſunt. A morbo peduncularì liberabis, cumino toſto & ſtaphide agria paribus portionibus tuſis, illita inde gallina ex uino, & ſi lupinorum ſylueſtrium decoctorum aqua ipſas prolueris.

Grauedi

Grauedinem inducit eis ſordidus potus, quare purus exhibeatur. Mederis autẽ grauedini ſiue muco ac pituitæ, allio in fruſta conciſo, & in oleum feruens coniecto, ita ut perfrigerato oleo oseluatur. Quòd ſi etiã ederint alliũ ipſum, magis ſanabuntur. Staphis agria autẽ & per ſe, & eruo ammixto prodeſt. Itẽ ſcilla purgata & aqua macerata, & deinde cũ polenta obiecta. Quòd ſi grauius infeſtet grauedo, partes ſub gena ferro lancinãtur, & partes circũ oculos exprimuntur, & ſale tenui cõfricantur ipſa ulcuſcula. Quidam origanum & hyſſopũ ac thymum ſuffumigant, caputq́; gallinæ ſupra uaporẽ detinent, roſtrum itẽ allio confricant. Alij in lotio hominis allia coquunt, & roſtra quàm cautiſsime defricant, ut oculos non contingant.

De Pauonibus. Didymi. CAP. XXIIII.

PAuones in inſulis manufactis maxime alũtur. Habeat autẽ locus is omnino multam herbã ac hortum. Secernendi ſunt generoſi & pugnaces à debilibus. Fortiores enim ualde opprimũt debiliores. Fœminæ triẽnio impletæ pariunt. Iuniores aut non edunt, aut non educant pullos. Cibus pauonibus præbeatur per hyemẽ faba in pruna torrefacta, & ante alium cibum ſingulis cyathi ſex ſufficiũt. Aqua autẽ proponatur pura. Sic enim fœcundiores erunt. Eis quæ oua pariunt per omnẽ domũ, fœnum aut paleas ſuſternere oportet, ne oua elabentia corrumpantur. Stantes enim pariunt, bis autem in anno oua gignunt, nõ plura in totum quàm duodena. Supponantur oua ipſa luna nonaria exiſtente, ex toto nouena. propria quidem quinque, quatuor gallinæ domeſticæ. Decima autem die gallinacea auferantur, & alia item gallinacea ſupponantur, quò tri

quò trigeſima die unà cum pauoninis ouis etiam gallinacea concurrant & excudantur. Natis pauonibus biduo cibus non eſt dandus. Tertia uero ex ordei farina uino ſubacta, & tritico pinſito, & zea pinſita, in aqua pura macerata, cibantur & connutriuntur.

De graculis. Leontij. CAP. XXV.

GRaculos fugabis ſi unum captum ſuſpenderis, Reliqui enim eo uiſo fugient, laqueos in poſſeſſione ea eſſe putantes. Graculos omnemq́; aliam auem prohibebis accedere, ſi ueratrum nigrum uino madefactum unà cum ordeo obieceris. Recte facies ſi priusquàm deſidũt graculi in aruo, ipſos ſtrepitu quodam propulſaueris. Sufficiens eſt autẽ ex crepitaculis & taurino tergore ſtrepitus, ad has aues perterrefaciendas atq; abigendas.

De uulturibus. Ariſtoteles. CAP. XXVI.

ARiſtoteles tradit uultures unguenti odore interire. Scarabeos autem odore roſarũ. Hæc enim ipſis graueolentia eſſe. Vultures inſuper non coire, ſed facie obuerſa & aduerſus auſtrũ exporrecta uolare, atq; ſic prægnantes fieri, & per tres annos parere.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XV.

HAEC inſunt in hoc libro, qui decimus qntus eſt ſelectarũ de agricultura præceptionũ. & cõtinet naturales cõſenſus & amicitias, contrarietatesq́; & odia, & de apum cura, & ſtructura mellis, & ut quis neq; ab apibus, neq;

à ueſpis pungatur, & de tollendis fucis.

De naturalibus conſenſibus ac diſſenſionibus ſiue amicitijs & odijs rerum. Zoroaſtræ. CAP. I.

MVlta inuenit natura diſſentientia & conſentientia inter ſe, quemadmodum Plutarchus in duodecimo quæſtionũ cõuiualium prodit. Quare neceſſariũ mihi uiſum eſt, etiã ex his quædam in præſentem librũ adſcribere, & præſertim ea quæ magis omnẽ ſuperant opinionẽ. Non enim hoc ſolum ſtudio habeo, ut rei ruſticæ ſtudioſi ex laboribus meis utilitatẽ capiant, ſed etiam philologos multarum rerum cognitione gaudentes ex meo opere iuuari cupio. Diſce igitur quòd furioſus elephas lenis euadit ex arietis cõſpectu, & quòd exhorreſcit à porcelli recens nati uoce. Taurus ſylueſtris quietus fit & mitigatur ad ficũ alligatus. Equus à lupo ſauciatus bonus euadet ac uelox. Oues à lupo adeſæ iucundiorẽ habẽt carnem, uerũ lana pedunculos generat. Hæc quidẽ à Plutarcho relata ſunt. Pamphilus porrò in libro rerum naturalium ait, quòd equi luporũ ueſtigijs calcatis obtorpeſcũt cruribus. Et lupus cõtactu ſcillæ cõuellitur, unde etiã uulpes propter lupos, latebris ſuis ſcillas apponũt. Lupus ſi prior uiderit hominẽ, imbecilliorẽ ipſum facit, et uoce priuat, uelut Plato in politijs ſuis tradit. Si uero lupus ab homine prius fuerit uiſus, ipſe debilior redditur. Leo cõculcatis ilicis folijs ſtupeſcit. Timet etiã gallum, eiuſq; cantum, & ſi uiderit ipſum fugit. Hyena naturali quadã ratione, ſi canis umbram nocturnam à luna productam calcauerit, ſeipſam uelut per funiculũ ex alto demittit. At uero

Neſtor

Neſtor in panacea ſua tradit, quòd hyena ubi uiderit hominē aut canem dormientem, extendit ſuum corpus iuxta corpus dormientis, & ſi quidem ſeipſam uiderit maiorem eſſe dormiente, ſua longitudine naturaliter delirū reddit dormientem, & depaſcitur ipſius manus nihil repugnantes. Si uerò breuiorem ſeipſam conſpexerit, celerrimis pedibus fugit. Quòd ſi hyæna te petat, ſtudio habe ut ne à dextra parte ipſam aggrediaris. Nam obtorpeſces & non eris potens tibijpſi auxiliari. Si uerò ex ſiniſtra te inuadat, confidenter aggredere, Omnino enim ipſam enecabis. Si quis manu tenuerit hycnæ linguam, à canum incurſu maximè cuſtoditus erit. Cancer admota ipſi polypode herba abijcit chelas ſiue pedes. Veſpertiliones hederæ ſuffitu moriuntur. Vultures unguenti odore pereunt. Serpens moritur quercinis folijs ipſi iniectis. Non mouebitur ſerpens penna ibidis ipſi iniecta. Vipera ſemel percuſſa harundine obtorpeſcit, pluries roboratur. Viperæ fœminæ ſi phagi ramulum admoueris uolabit. Teſtudo à ſerpentium eſu, ægrotat: ſi uerò origanum ſuperingeſſerit ſana redditur. Pelargi ſiue ciconiæ folia platani nidis imponūt propter ueſpertiliones. Hirūdines propter blattas apium imponunt, palumbes laurum. Circi (accipitris genus id eſt) ſylueſtrem lactucam, Harpæ hæderam, corui uiticem, upupæ amianton, cornices uerbenacā ſupinam, galeritæ gramen, unde etiam prouerbium eſt,

ἐν κορυδοῦ κοίτα σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωσις. Hoc eſt,

In Corydi nido nodoſi graminis eſt uis.

Turdus myrtum, Perdix harundinis bulbum, Ardeola cancrum, Aquila callitrichon. Theophraſtus &

Ariſtoteles produnt animalia non ſolũ ex animaliũ coitu generari, ſed etiam ſponte naturæ prouenire, & ex putreſcente terra. Ex ipſis autẽ animalibus & plantis quædam tranſmutari in alia. Nã crucã aiunt tranſire in aliud animal alatũ muſcam uocatum, et erucas fici in cantharidas, & hydrũ in uiperã ubi ſtagna ſunt exſiccata. Quædam certis temporibus transformari uidentur, uelut accipiter & upupa inuicem transformantur, & erithacos & qui uocantur phœnicuri æſtiui. Sunt autem ficedulæ & melanchoryphi. Nam et ipſi mutuò tranſmutantur. Fitq́; ficedula circa autumnum. Melancoryphus autẽ ſtatim poſt uindemiam. Marinæ auiculæ ulceratum roſtrũ origano curant. Scorpiũ occidit raphanus ipſi impoſitus. Si percuſſus à ſcorpio, ſuper aſino deſideat rectus reſpiciensq́; ad caudam, aſinus pro ipſo dolebit. Cuius ſignũ eſt quòd pedendo moritur. Si percuſſus à ſcorpio in aurem dicat aſino, Scorpius me percuſsit, nõ dolebit, dolore in aſinum tranſeunte. Formicæ ut frumentum ab ipſis reconditum non enaſcatur, medullas granorũ prærodũt. Semina quæ inter ſerendum cornua bouis contingunt, ab igne conſumi non poſſunt. Appellantur autem huiuſmodi ceraſbola. Magnetes lapis ſiue ſiderites attrahit ferrum. Expirat autem ſi allium ipſi affricetur. Reuiuiſcit ſanguine hircino ipſi infuſo. Electrum lapis ſiue ſuccinũ, omnia paleoſa ac leuia ad ſeipſum trahit, præter ocymũ. Aëtites lapis duas naturas habet. Alter enim denſus eſt & ſolidus, alter uerò rarus et inanis. Verum ſolidus alligatus mulieribus, perficit fœtus, et cõtinet uſq; ad partus tempus. Corallius lapis in domo omnẽ cædem & inſidias

dias abigit. Idem faciunt & feſtucæ & ramenta ebeni, & radices aſpalathi, & odorata herba Anagallis, & ſcil-la aßiccata in ueſtibulo domus ſita. Gagates lapis ſuffi-tus reptilia fugat. Idem lapis frigida aqua madefactus, & igni admotus ignem concipit & ardet ingenti ſplen-dore, quemadmodum Neſtor in panacea ſua tradit. Quòd ſi oleum ingeratur ipſi, extinguitur. Amiantos ignis uim exſuperat, & non ardet, etiam ſi multo tempo-re in igne maneat. Similiter & Salamandra minimum animalculum ex igne generationem habet, & in igne ui-uit, neq; exuritur à flamma. Tauri illitis naribus ipſo-rum roſaceo, tenebris offuſis uertigine afficiũtur. Hircus non fugit, ſi præcideris ipſi barbam.

De apibus, & quomodo ex boue generen-tur, quæ res bugone Græcis appellatur. Florentini. CAP. II.

Locus in quo apes futuræ ſunt, ad hybernum aut uer-num ſolis exortũ conuerſus eſſe debet. quo & hyeme & æſtate calfiant, & auræ inſpirantes ipſas recreent. A-qua optima apũ examinibus eſt, quæ per aſperos calculos defluit, incorruptaq́; ac minime turbida exiſtit. Nam & ſanitatem et bonũ mel facit. Verum petrarum ſaxa itemq́; ligna collocare oportet, aquam paululum ſupereminẽtia, quibus inſidentes abſq; labore bibant. Si uerò non ſit fluens à terra aqua, ex puteo exhauriatur aut è fonte, & per canales inducatur. Sint autem hi prope apes, ne ex aquæ geſtatione ægrotent. Pabulo thymi maximè gau-dent, & ex eo abundè paſtæ, & plurimũ mel conficiunt, et ſobolem pariunt. Saluia quoq; & thymbra ac cytiſus

iucundiſsima ſunt apibus pabula, et recentia examina cytiſo maximè adhærent, eoq́; minore labore fruuntur. At uerò clauſtra, hoc eſt uaſa quibus excipiũtur, optima ſunt ex tabulis oxeinis aut ficulneis. Similiter ex pineis aut fagineis. Latitudo ſit cubitalis, Longitudo duorum cubitorum. Forinſecus autem calce & bubuli ſtercoris tectorio oblinantur, Minus enim ſic computreſcent. Perforantur ea ipſa obliquè, quo uenti leniter inſpirantes, tum aranearum telas, tum alia marceſcentia reſiccent & perfrigerent. Gaudet maxime quiete hoc animal, & ægrè fert hominum acceſſum. Quare oportet apum cuſtodẽ murum circumextruere ex raris lapidibus, quo ipſæ per cauernas inuolantes, tum aues inſidiantes, tum rorem effugere poßint. Amant conſueta paſcua. & ſi habitationes innouent ac mutent, non uolentes ad pabulum exeunt, & ob id in regione ipſas ſeruare oportet. Si uerò emptori cuipiã, aut etiam ob aliã cauſam, neceſſe ſit ipſas transferre, noctu & placide, & obligatis cum pellibus uaſis, eas tollat ante diẽ. Hac enim fallacia neq; ſuos perturbabis, neq; animalia contriſtabis ipſa moleſtando. Porrò tithymalũ depaſtæ, & ſucco guſtato, ex alui profluuio laborãt. Quare ſi quis in uicinia naſcatur, extirpandus et euellendus eſt, ipſæq; curãdæ mali punici tegmine, hoc eſt cortice tuſo, & tenui cribro excuſſo, admixto melle ac uino auſtero. Pedunculos autẽ ipſarũ curabis, ramulis mali arboris & caprifici incenſis ac ſuffumigatis. Hebetudinẽ uerò uidendi, ſanabis foliorum origani ſuffitu. Quemadmodũ autem bugonæ ex bouæ natæ, una & uiceſima die uiuificãtur: ſic etiã examina totidẽ dieb. augentur. Verũ

reges

reges ipſi in ſupremis fauis reperiũtur. Oportet autẽ ſingulis aluearibus unum relinquere, & reliquos abolere. Cõgregatæ enim iuxta ſingulos apes diſsidẽt, & ab opere ceſſant. Regum optimi ſunt colore flaui, magnitudine ſeſquialtera ꝓportione apis. Secũdo loco ſunt uarij, paululũ ſubnigricãtes, magnitudine dupla. Cæterũ ex regione tithymalũ & ueratrũ, & thapſiam & abſinthium, & ſilueſtrem cucumerem tollere oportet, omniáq; quæ apim perdũt. Nã & mel uitioſum ex his faciunt ac tranſſumũt. Similiter etiã inſidiantia apibus animalia diſperdes, fucos nimirũ & caprimulgos, ac lacertas, & omnia apes corrũpentia, fugabis & enecabis. Quũ uero omnes homines accedentes moleſte ferant, ipſosq; impetãt, his qui uinum & unguentũ olent ſæuiores irruũt, & mulieres itẽ inuadunt, maxime quæ rei ueneræ operam dederunt. At uero uaſa & aluos in quibus ſunt apes, thymi aut populi albæ floribus diligẽter oblinantur, præſertim ut domicilia ſua diligãt, & in ipſis maneant: qua gratia etiã nardi herbæ & myrrhæ pares portiones teres, quadruplo mellis ammixto, indéq; uaſa oblines. Iubas rex Libyorũ facere apes in arca lignea iubet. Democritus & Varro in Romana lingua, in domo faciendas eſſe tradunt, quod etiam melius exiſtit. Modus autẽ hic eſt. Domus ſit tibi alta decẽ cubitorum, latitudinis itidem cubitorum decem, & reliquis lateribus comparibus. Ingreſſus in ipſam formetur unus, feneſtræ quatuor, ab unoquoque latere una.

In hanc inducas bouẽ triginta menſiũ, carnoſum ualde pinguẽ, faciasq; adſtare ipſi iuuenes multos, qui ipſum fortiter uerberent, & fuſtibus cæſum occidant, ſimul cum

carnibus ipſa etiã oſſa cõminuentes, diligentẽ autem animaduerſionẽ habeant, ne quid bouis cruentent. Nõ enim ex ſanguine apis generatur, & circa primas plagas non uiolẽter in ipſum irruant. Statim uero obturetur omnis bouis meatus, linteolis puris ac tenuibus pice tinctis, ueluti ſunt oculi, nares, & os, & quæ à natura productæ ſunt partes, ad euacuationẽ neceſſariã. Deinde thymo ſubſtrato multo, boueq; ſupino ſuper ipſum reclinato, domum egrediantur, & ſtatim ianuã & feneſtras luto denſo oblinant, ut neq; aëri, neq; uento ullus aliquis ingreſſus aut perſpiratio pateat. Tertia autẽ hebdomade undiq; domum adaperire oportet, & lumen aëremq; purũ admittere, præterquam ex ea parte unde uehemens uentus procedit. Si enim ſic contigerit, ingreſſum qui ſecũdum uentũ ſitus eſt, clauſum relinquere oportet. Poſtquàm autem uidebuntur materiæ perfrigeratæ, & uentum ſufficientem attraxiſſe, rurſus cõcludere oportet, & luto uelut prius oblinere. Vndecima deinde poſt hanc diẽ ubi aperueris, inuenies plenam apibus, racematim inter ſe coagmẽtatis, & ex boue reliqua cornua, & oſſa ac pilos, & præterea nihil. Aiunt ex cerebro gigni reges, ex carnibus uero alias apes. Naſcitur autẽ & ex medulla ſpinali rex: præſtare tamen ex cerebro natos & magnitudine, & pulchritudine, & robore omnibus alijs traditur. Primam porrò mutationem & transformationem carnium in animalia, & uelut conceptum quendã ac generationem inde cognoſces. Adaperta enim domo parua & alba ſpecie, inter ſeq; ſimilia, & non perfecta, neque iam omnino animalia, circa uitulum multiplicata uidebis,

immobi

immobilia quidem omnia, paulatim uero augeſcẽtia. Videbis etiam alarum excretionem iam exarticulatam, uidebiſq; proprium colorẽ accipientes apes circumſedenteſq; regẽ & aduolantes. Verum breuius & ſubtremẽtibus alis, propter inſuetudinẽ uolandi, & membrorũ debilitatẽ. Aſsident autem feneſtras impetuoſe impellentes & uiolantes ſe mutuo, ob deſideriũ lucis. Præſtat tamẽ apertiones & obturationes feneſtrarũ uelut dictũ eſt, alternis diebus facere. Timor eſt enim ne aut apum naturã tranſmutent, aut ob longiorẽ ſtabuli concluſionẽ aëre priuatæ uelut ſuffocatione pereant. Cæterũ prope domum ſit apiarium, & quum euolarint feneſtris apertis, thymum & cneorum ſuffumigabis. Odore enim trahes ipſas in apiariũ curatum odoribus florũ & ſuffitionũ. Non autem inuitas impelles. Gaudent enim apes odoris fragrantia & floribus, ut merito mellis opifices exiſtant.

De apibus. Didymi.. CAP. III.

APis omnium aliorũ animaliũ ſapientiſsima eſt & artificioſiſsima, & intelligẽtia ad hominẽ prope accedit, opificiumq́; eius uere diuinũ eſt & hominibus utiliſsimum. Politia quoq; huius animalis aſsimilis eſt reipublicæ urbiũ optime inſtitutarũ. Nam & egreſſus pro ducis arbitrio & iuxta præceptum facit. Et à floribus & arboribus lacrymas glutinoſiſsimas ferẽtes, ex his uelut unguine quopiã pauimentum illinunt, itemq́; ingreſſus. Aliæ ad mel præparant, aliæ aliud cooperãtur. Eſt præterea purũ excellenter hoc animal, nulli graueolenti ac immundæ rei inſidens, & neque ad lucernam, neque ad carnes, neque ſanguinem, neq; ullam aliquam pinguitudinẽ aduolans,

ſed ſolum his quæ dulcẽ ſuccum habent. Neq; uero alio-rũ labores deuaſtat, reſiſtit tamen fortiſsime eis quæ ipſius labores deſtruere aggrediuntur. Quum autẽ ſibi conſcia ſit ſuæ imbecillitatis, anguſtos facit & non in rectũ diſpo ſitos ingreſſus in domunculam ſuã. Si quod igitur animal per hos ingreſſum fuerit, ut ipſis damnum inferat, plures ipſum circunſtãtes facile occidunt. Modulatur inſuper hoc animal & optimũ ac ſuauiſsimum cantum. Vnde ſa-nè paſtores apum ipſas diſperſas, cymbalis pulſatis, aut aliàs manuum cõcinno plauſu congregant. Solum au-tem hoc animal ducem quærit qui omnium curam agat. Quapropter ſemper colit regem, concomitaturq́; alacri-ter in quemcunq; tandem ordinem locetur, & ægrotan-tem ipſum ſuſtinet, & non potentẽ uolare geſtat & con-ſeruat. Maxime uero ſegnes odit, quapropter deſides & ocio deditas, conſumentesq́; elaboratum, communiter inſurgentes occidunt. Cæterum artificium eius prope ad humanam intelligentiam accedere uidetur, ex eo quòd cellas ſexangulares facit.

Vt ne fugiat apes. Eiuſdem. CAP. IIII.

APes non fugient, ſi uituli recẽs nati ſtercus loculorũ oſculis obleueris. Fixo autẽ & inhabitãte adhuc examine, regẽ leniter alis prehendito, eiusq́; extrema in-fringito. Ipſo enim intus manente nõ diſcedent. Nõ fugient apes, ſi ſylueſtris & ſatiuæ oleæ folia ſimul trita aluearibus ad ueſperam illeueris, aut aqua mulſa parietes & aluearia obleueris. Recens porrò editis, cibũ in pel-uibus apponere oportet, uinum mulſum in quo ſunt thy-mi, & thymbræ multum floridæ, ut ne ſuffocentur. Alij

uuis

uuis paſsis contuſis, & modica thymbra ammixta, maſſas faciunt, ex eiſq; examina optimè enutriunt, quū propter hyemem aut æſtum domi manentes famelicæ ſunt. prætergreſsis autem decem diebus uernis, fimi bubuli aridi fumo ipſas ad paſcua expelles, & purgabis atq; euerres ipſa uaſa. Stercoris enim fœtor ſegniciem eis inducit, & aranearum caſſes ipſas impediūt. Si uerò multæ fauorum ſtructuræ in uaſis fuerint, deteriores eximere oportet, ne ob loci anguſtiam ægrotent. Fauos autem ex uno uaſe plures quàm duos auferre non oportet. Macilentæ enim & debiles erunt.

Quando apes uindemiare oportet.
Eiuſdem. CAP. V.

O*Ptimum tempus uindemiæ mellis & fauorū eſt pleiadum ortus. Secundum Romanos uerò menſis Maij principium. Secunda uindemia eſt incipiente autūno. Tertia pleiadibus occidentibus circa octobrem menſem. Non tamē definitis ac certis diebus, ſed iuxta fauorū perfectionē. Si enim antequā perfectè contexti ſunt faui, mella eximantur, ægrè ferunt & ceſſant præ ſiti. Idem faciunt etiā ſi auarior omnem fructū ademeris, & aluearia penitus euacuaris. Oportet enim decimā partem ipſis relinquere tū uere, tū æſtate: hyeme uerò duabus relictis ipſis partibus, tertia tantum eſt auferēda. Sic enim neq; animū præ triſtitia deſpondebunt, et alimentū abunde ſuppetet. Cæterū bubuli fimi fumo ipſas expellere oportet, aut maluæ ſyluestris maſculæ ſuffitu, quam dendromalachē Græci appellant. Eiuſdem ſucco uindemiatorē illini oportet, ob ipſarū morſus. Prodeſt & Melitteō quæ et melitte*

na &

na & meliſſophyllon appellatur illita, & flos lentiſci.

Vt uindemiator mellis non pungatur.

Paxami. CAP. VI.

A*D farinam fœnigræci torrefacti maluæ ſylueſtris ſucum affundito cũ oleo, factaq; mellis ſpiſsitudine, faciem & nudas corporis partes largiter illine. Indidem etiam ſorbeto, & in aluearia ter aut quater inſufflato. Fimum item bubulum aridum in ollula accendito, & admotum feneſtellæ aluearij fumum ad dimidiam horam irrumpere ſinito, & poſtea eleuatam ollam foris teneto, quo fumus foris redundet, atq; ſic uindemiam perfice. Similiter autem & fucorum nidos ac cellas extirpabis, ſi ad bubulum fimum farinam fabaceam ammiſcueris.*

De melle & eius cura. Diophanis. CAP. VII.

O*Ptimum mel eſt Atticum, & Attici hymettion. Bonum eſt & quod in inſulis fit. Siculi optimum eſt hyblæũ. Cretici acramaumorion, Cyprij chytriũ. Coi calymnium. Specie autem ſit pellucidum & ſubflauum, tactu leue, & ſi quis trahat ipſum diu ſibijpſi cohærens & continuum maneat, et ſublatum in ſublime ſenſim defluat, nõ in tenuitatẽ abiens, ac lentè remoueri potens, ita ut agglutinatũ auferatur, & odor eius remanens aduniatur. Quũ autem omne mel multo tempore reſiccetur, Atticum liquidum permanet, colore autem nigreſcit. Quod igitur peioris notæ eſt mel coques, melius enim euadet. Optimum uerò crudum edas. Non ſolum enim in cibo acceptum iucundum eſt, ſed etiam longæuos facit. Qui igitur in ſenecta melle cum pane nutriuntur, diutiſsimè uiuunt. Nam & ſenſus omnes ſanos ac integros cuſtodit ac conſeruat.*

Demo

Democritus interrogatus quomodo homines incolumes manerent & longæui fierent, reſpondit, Si externas corporis partes oleo, internas melle illinerent. An uerò adulteratum aut integrum ſit mel, ipſo accenſo cognoſces. Quod enim adulteratum non eſt, purè ardebit.

Vt neq; aluearia, neq; agri, neq; domicilia, neq; pecorum ſtabula, neq; officinæ, ullo aliquo medicamento aut incantamento inficiantur. CAP. VIII.

ASini nigri ungulã dextri humeri ſub limine ingreſſus defodito, et reſinam pini liquidam affundito: Hæc uerò fit in zacyntho ex ſtagno emergens, quemadmodũ bitumen ex Apollonia circa Dyrrhachium ex ſtagno eijcitur: & ſalem, & origanũ heracleoticũ, & cardamomũ, & cuminum, panis iuſcula, ſcillas, coronam lanæ albæ aut puniceæ, uiticem, uerbenacã, ſulphur, tedas piceæ, & amarantũ ſubrutilum, ſingulis menſibus deponito, & aggeſta terra obruito, iniectisq; omnis generis ſeminib. dimittito.

Ad tollendos fucos. Democriti. CAP. IX.

SI fucos tollere libeat, ueſpere incipiente opercula uaſorum intrinſecus aqua irrorato, & circa diluculum uaſa aperito, inuenies q; fucos guttis operculorum inſidentes. Semper enim melle repleti ſiticuloſi ſunt, & aquæ appetẽtia inſatiabili ab humore operculorũ nõ diſcedũt. Quare poßibile fuerit ipſos omnes diſperdere, ita ut ne unus quidẽ aufugiat. Sunt autem magni, aculeoq; carentes & ignaui. Prodit Ariſtoteles à buxo mel fieri grauis odoris, ex quo ſi ſani edãt mente ipſos moueri. Si uerò comitiali morbo prehẽſi eo ueſcãtur, ſtatim à malo liberari.

Vt à ueſpis non impetaris. Paxami. CAP. X.

MAluæ ſylueſtris ſucco aduerſus ueſparum impetum illinaris.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA, LIBER XVI.

HAec inſunt in hoc libro, qui decimus ſextus eſt; ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionem diligentiæ circa equos adhibendæ, curationem & nutritionem eorundem, Itemq́; de aſinis & camelis.

De equis. Abſyrti. CAP. I.

EQuas fœminas ex quibus pullos educabimus eſſe oportet bene compactas, & magnitudinem iuſtam habentes, pulchrasq́; aſpectu, habereq́; latitudinẽ in partib. alui iuxta ilia & lumbos. Aetate ſint non minores annis tribus, neq; ſeniores annis decem. Equum uerò admiſſarium corporis complexu eſſe oportet magnũ & partibus omnibus eſſe compactum. Tempus ſaliendi ab æquinoctio uerno, hoc eſt à uigeſima ſecunda Martij, uſq; ad ſecundã & uigeſimam Iunij, quo partus fiat circa temperatiſsimũ anni tempus, in quo herbæ ac gramina uireſcant. Geſtat enim equa in utero menſes undecim, & dies decẽ. Conceptus autem poſt ſolſtitium æſtiuum degeneres & inutiles fiũt. Admiſsionis tẽpore equus à laboribus ferias agat. Salire autẽ non ſæpe in die ipſum oportet, uerũ bis ſolummodo, mane & ueſpere. Si ſemel incenſa equa, marem nõ admiſerit

miſerit, poſt dies decẽ ipſi rurſus adducatur. Si uero neq; ſic admiſerit, ſegreganda eſt, ut quæ iam cõcepit. Quũ autem conceperint, curãdum eſt ut ne plus iuſto miſceãtur, neq; frigidis requieſcant locis. Contrariũ eſt enim prægnantibus frigus. At uero mares alacres ad uenerẽ faciemus, ſi deterſa equæ natura ipſi nares illeuerimus.

Pullum generoſum futurũ ſic cognoſcemus tum ex animalibus, tum ex corporeis uirtutibus. Velut exempli gratia ex corporis uirtutibus, Caput habet paruum, oculos nigros, nares nõ collapſas, aures breues, collum tenerum, iubam profundã paulo criſpiorem, ad dextrã ceruicis partẽ reclinatam, pectus latũ & plenum, humeros magnos, brachia recta, aluum iuſtæ molis, teſtes longos, ſpinam maxime quidem duplicem, ſin minus non gibboſam, caudam magnã pilis denſam ac criſpã, crura recta, femora muſculis plena, ungulam probe expletã ac circunſcriptã, & undiq; æqualiter cõpactam, renunculũ paruum, unguẽ ſolidũ. Ex his omnibus manifeſtus fit pullus in bonum ac magnũ equũ euaſurus. Ab animalibus porrò uirtutibus ſic experimẽtũ ſumere oportet. Si nõ fuerit pauidus & cõſternatus, neq; ab apparẽtibus derepẽte perterreatur, & in grege pullorũ primus apparuerit, nõ cedẽs, ſed expellẽs proximũ, et in fluminibus ac ſtagnis nõ expectãs ut alius prior inſcẽdat, ſed ipſe intrepide primus hoc faciat. Manſuefaciẽdi autẽ ſunt pulli, decẽ & octo menſibus impletis, capiſtraq; ipſis circumponẽda, frænumq; ad præſepe ſuſpẽdendum, ut eius contactui adſueſcat, & nõ reuereatur poſtomidum ſtrepitum. Vbi autẽ trium annorum eſt, dometur antequàm uentroſus fiat. Tempus uero

& ætatem

& ætatem equorum, & omnium ſolidipedū & integras ungulas habentium, fermè & cornutorum, cognoſcemus ex dentium iactu. Triginta etenim menſium factus pullus, priores abijcit ſiue anteriores, quos Græci à ſecando tomeis appellant, medijs duobus ſuperne & inferne abiectis. Initio quarti anni rurſus alios abijcit inferne & ſuperne duos ex utraq; parte. Videturq; tūc producere eos qui canini appellantur. Perfectis autem quatuor annis ubi iam apprehenderit quintum, reliquos eijcit, inferne & ſuperne ex utraq; parte unum. Eos uero qui naſcuntur cauos habet. Sextum deinde ingreſſo annum, primorū cauitates explentur. Vbi uero ſeptimum attigerit, omnes habet cōpletos, neq; ulla inde cauitas reſtat. Quod ubi contigerit, non amplius facile eſt annos cognoſcere. Cæterum equus in uniuerſum non ægrotabit, ſi cerui cornu ei amuleti uice alligaris.

Equi ſigna ſiue notæ. Pelagonij. CAP. II.

QVidam etiam equos heterophthalmos Græcis, ab alterius oculi uarietate appellatos, inter pulcherrimos recenſent, qualem fuiſſe ferunt equum Alexandri Macedonis Bucephalum. Linguā autem probāt in equo tenuem & longam, faciem ſimam aut aduncam, ceruicem altam, colorem glaucum, laudant & nō titilloſum, ſtaturam rectam, collum plenum & craſſum non breue, uentrē compreſſum, & ad ilia contractum, magnitudinem iuſtā, uenas per totum corpus notabiles & eleuatas, colorem abunde nigricantem. Plato albos probat, tanquā in albo & nigro ſumma laus conſiſtat. Puniceū quoq; inter bonos equos connumerant. Contingit autem & aliorum colorum

colorum bonos ſæpicule equos eſſe. Boni *præterea equi & hæc nota eſt, quando ſtans impatienter tolerat quietem, & terram pedibus pulſans curſum meditatur.*

De medela diuerſorum morborum. Abſyrti. CAP. III.

SI *gracileſcat equus, frumentũ torrefactũ, aut ordeum pinſitum dupla menſura ipſi obijciatur, ter in die potum ducatur.* Si *uero perſeueret macies, furſur frumento miſceatur, & leuibus gymnaſijs exerceatur.* At *uero ſi nõ ſit edax, ſolani & polij folia aqua potabili trita & diluta naribus infundũt:* Ordeum *uero & eruum aqua macerata proponunt.* Aut *melanthij cyathos duos terunt, & ammixtis olei cyathis tribus, cum uini hemina faucibus infundunt.* Nauſeantem *curabis allio trito, & uini hemina affuſa, ac data.* Si *urinæ emittendæ difficultate teneatur, ouorum decem candidum ad prædicta ammixtum per os infundimus.* Neque *boues, neq; equi ægrotabunt, ſi cerui cornu ipſis pro amuleto alligabis.*

De febricitante equo. Eiuſdem. CAP. IIII.

FEbricitans *equus calido lauacro curetur, hyeme uero foueatur, ut ne frigeſcat.* Alimentum *potiſsimum erui aut tritici farinæ exhibeatur, in potu aqua tepida offeratur, uino cũ oleo tepefacto totum corpus inungatur, uenterq; purgetur, & ſanguis ex collo, aut uenis circa guttur, ſiue pectus, aut de pede detrahatur.* Genua *aceto calido cõfricẽtur, ubi uero cõualuiſſe uidetur, aqua calida lauetur.* Si *uero ex laſsitudine febricitet & macilentus reddatur, lactis caprini heminã, amyli menſurã, olei heminæ dimidiũ, oua quatuor, ammixto portulacæ cõtuſæ ſucco,*

ad dies tres aut plures inſunde, donec ſanus fiat. Si uero ob humorũ impreßionẽ in tõſillas, aut partes circa caput factã, ſebrierit, conſouendus eſt ipſe, & palatũ eius ſale cũ origano tuſo, & per oleũ excolato illinatur. Pedes *& genua aqua calida calfiãt. partes circa os ſolano trito et uini fece cõfricẽtur. algis aut uiridi gramine, ſeu fœno, abſq; hordeo nutriatur.* Si *uero ſanguis p nares ipſi feratur, coriãdri ſuccus, aut laſeris ſuccus dilutus, p nares ĩfundatur.*

De lippiente. Eiuſdem. CAP. V.

SI *oculus equi ſit inflammatus, thuris maſculi, ſiue ut alij habent, medullæ agninæ, utriuſq; drachmã unam, croci, oßis ſepiæ, utriuſque drachmam unam, olei roſacei drach. decem, candidum ouorum decem, miſcebis ſimul & ſublines.* Aliud *ad oculum inflammatum medicamentum, conſtat ex thure, amylo, melle* Attico.

De albugine. Eiuſdem. CAP. VI.

SAl *ammoniacũ tenuißimum ad mel* Atticum, *aut aliud bonum miſceatur & illinatur, aut butyri tantundem adijciatur.* Aut *ſepiæ os tritum per harundinem inſuffletur.* Aut *ſilphij radix cum oleo tuſa, bis in die ſublinatur.* Aut *erucæ ſemen integrum uelut eſt inſuffletur in oculum, & ſinatur, donec ſemina attenuatoria ſua acredine attenuent & extergant ipſas albugines.*

De neruis. Eiuſdem. CAP. VII.

SI *à neruis infeſtetur equus, aqua calida ipſi parteſq; ac caput perfundantur.* Deinde *adipis bubuli, & myrrhæ, ac ſulphuris pares portiones ollæ indãtur, & caput equi obuelatum ſuffumigetur & calfiat.* Sed *& alui euacuatione utendum eſt, & ſanguis ex cauda detrahendus.*

De

De profluuio alui. Eiuſdem. CAP. VIII.

SI aluus fluat, ſanguis ex uenis in capite auferatur, bibat aquam tepidam farina hordeacea permixtam. Si inde nihilo mitius malum fiat, oleũ per nares infundatur. Cohibent autem & mali punici putamina aluũ profluam, unà cum rhoe Syriaco contuſa, & per os exhibita.

De tormine. Hieroclis. CAP. IX.

EQuus torminoſus lauetur aqua calida, & contegatur. Deinde myrrhæ drach. V. *uini ueteris heminas* VI. *olei heminas* III. *ſimul diluta, & in tres partes diuiſa infundito. Venter inſuper aqua calida marina, aut myrti baccis in aqua coctis calfiat. Polij etiam folia, abrotonum, aut amygdalæ amaræ, ammixto uino nigro auſtero infundantur, aut mali punici putamina cum aqua. Prodeſt & apij ſemen, & cucumeris pari portione, utrunque cum mellis & uini pari menſura in potu datum. Aut cardamomi ſemen tritum cum aqua, medica etiam herba madida obijcitur, itẽq; hordeũ. Voluuloſi porrò equi infuſo per ſedem immiſſo eluuntur, quod ex beta aquæ incocta, & nitri drachmis quadraginta, additis olei drachmis triginta, cõſtat. Eodẽ modo & nitrũ tritũ cum uino infundere per anũ potes. Similiter etiã ſi ad terrã minxeris, & luto inde accepto, uentrem illeueris, tormina ſedabis.*

De pulmonis uitijs. Eiuſdem. CAP. X.

VItia in pulmone hærentia & conſiſtentia, acetum acre tepefactum & infuſum ſanat, aut urina hominis cum adipis ſuilli liquefacti drachmis uiginti. Cauẽdum autem ne ex muliere ſit urina, cui naturales ſubeunt purgationes.

De tuſsi. Eiuſdem. CAP. XI.

INcipiente tuſsi, farinã hordeaceã ammixtis fabis, aut eruo in potu exhibere oportet. Inualeſcẽte autẽ tuſsi, mellis cyathos duos, picis liquidæ tantundẽ, olei tãtundẽ, butyri drach. XXIIII. calefacies, & adipis ſuilli ueteris modica parte adiecta exhibebis. Quòd ſi neq; ſic ſedetur, marrubiũ teres cũ oleo, et ſale, uinoq; diluta infundes. Alij marrubij ſucco, et oleo, & rutæ ſylueſtris radice utũtur, quidã etiã thus ammiſcẽt, aut ipſo cum oleo utuntur.

De ignoto morbo. Theomneſti. CAP. XII.

SAnguinis detractio ex utroq; armo fiat, pharmacum etiam præparatur hoc modo. Ruta modica cum lapathi radice tunditur, aquæ heminis tribus additis, & opoponacis drach. duæ inde ammiſcentur. Noctu uero & interdiu ex farina frumentacea paſcere ipſos oportet aqua diluta, ita ut in potu eam accipiant. Si uero gregarios equos morbus apprehenderit, minoribus quidem gari & olei cyathi tres, maioribus duplum infundatur.

De urinæ difficultate. Abſyrti. CAP. XIII.

QVidam cepam ablato cortice circum ueſicam ponunt. Alij apij ſemen tritũ cum uini heminis duabus, aut cepæ ſemen eodem modo cum uino, aut columbinum ſtercus, aut polij folia, aut ſmyrnij corticem ſiccum, aut nitri drachmam cum allij capite contuſo, infundunt cum uino. Alij uino nigro ſolo utuntur.

Si ſanguinem mingant. Eiuſdẽ. CAP. XIIII.

LOmento fabæ purgato cocto, adipẽ ceruinum miſcebis, & cum modico uino per os ad triduũ infundes. Aut lactis caprini hemina, amyli mina dimidia, oua decẽ,

olei

olei cyathi tres, omnia mixta ſimul per cornu infundãtur.

De ulceratione. Eiuſdem. CAP. XV.

SI ſpina equi exulceretur, iridis radix uritur, & tuſa inſpergitur. Aut cannabis uſtæ cinis melle imbutus illinitus, ipſis partibus urina uetere prius elotis ac depuratis.

De inflammatione. Eiuſdem. CAP. XVI.

OMnis inflammatio ſale & oleo, aut polij folio uſto, & uino diluto, aut uerbaſco in uino cocto, cataplaſmatis modo impoſitis curatur.

Malagma ad articulos, Pelagonij. CAP. XVII.

THuris drach. VIII. galbani tantundem, fecis uini drach. XII. reſinæ frictæ, nitri, ſulphuris, ſingulorum drach. IIII. ſinapis Aegyptij cyathũ, naſturtij tantundẽ, baccas lauri centũ, ficuũ aridarũ minã, rhododaphnes folia pauca, calcis non extinctæ quod ſatis eſt: Arida tuſa liquidis excipiũtur, & pãniculo infarta imponũtur.

De ſcabie. Eiuſdem. CAP. XVIII.

PIcis liquidæ ex cedro, reſinæ, aluminis, pares portiones cũ aceto illinãtur in ſole. Aut cõfrictis locis affectis ex cinere calido, ablutisq; donec cruenti reddantur, poſtea argẽti ſpuma & alumẽ probe tuſa, cũ oleo lẽtiſcino illinãtur. Aut ſpumæ nitri, & ſpumæ ſalis, ac farinæ triticeæ, ſingulorũ pares portiones aceto dilutæ imponãtur. Aut cineris radicis capparis uſtæ quãtum ſatis uidebitur, ammixto adipe ſuillo, elota prius ex lixiuio pte, illinatur.

De hirudine. Abſyrti. CAP. XIX.

SI equus hirudinem deuorauerit, reclinato ſupino oleũ calidum ammixto uino per cornu infundatur. Aut cimices in conſpectu ipſorum exurito, aut in naribus ipſo-

rum occidito. Sic enim ſanabis. Aut enim confeſtim exci= dunt, aut moriuntur. Eodem remedio & ad boues atque alia animalia uteris.

Quomodo ſcorpij aut alterius reptilis plagæ medearis. Hippocratis. CAP. XX.

P*Ars percuſſa fimo bubulo integatur, aut ſolano tuſo, aut tithymalo, aut hyoſcyami ſemine, aut ſucco ſemi nis lini, aut alumine, aut ſpuma nitri, aut ſale fricto. Vnũ ex his adhibitum iuuabit. Sed & aqua per linteolum ex= colata, & in nares infuſa medeberis. Et in uniuerſum quidẽ ad omnes fermè reptilium plagas, ut plurimũ eadẽ auxilia & homines curant, & pecoribus ſalutaria exi= ſtunt. Cæterum ad particulares morbos, & equis, & aſi= nis, & mulis, ſanguinis detractio commoda eſt.*

De aſinis ad coitum idoneis. Abſyrti. CAP. XXI.

A*Sinos admiſſuræ & ad coitum idoneos ſic eligemus quemadmodum & equos, eodem etiam modo edu- cabimus. Quidam recte faciunt, qui etiã ſylueſtres man= ſuefaciunt. Eſt enim prolificatio ipſorum optima, utpote qui non cõcluſi teneantur, ſed liberè uagentur. Valde au= tem manſueſcit hoc animal, et ad omnia ſimuliter, ut præ= dicti domeſtici inſeruit, & nunquã reliquorũ animalium more, ſi ſemel mãſuetus redditus eſt, rurſus efferatur. Par= tus quoque eius ipſi ſimiles euadunt. At uero ſalire huiuſ= modi animalia paucis diebus ante ſolſtitiũ æſtiuũ opor= tet. Cõceptũ geſtat in utero aſina menſes duodecim. Præ= ſtat autẽ ut equæ ab aſinis inſcẽdantur, quàm ut aſinæ ab equis. Quidã diligentiores circa hãc rem, aſininos pullos*

equorum

equorũ fœminis ſubijciũt. Nam & meliori lacte enutrientur, & ſimul educati maiori amore erga equas afficiẽtur, ob cõmunẽ uidelicet educationẽ, quare & maiori alacritate eas appetent, ac inſcẽdere geſtiẽt. Sit autẽ lactationis tẽpus duorũ annorũ, quẽadmodũ in equis. Aſini ad coitũ ab annis tribus uſq; ad decẽ cõmodi ſunt. Procurandumq́; eſt ut aſini admiſſarij bona forma præditi ſint. Tales enim erũt etiam qui inde generabũtur. Quidam maius ſtudium circa hanc prolificationis rationẽ adhibentes, admiſſariũ aſinũ ſiue equũ, ſiue aliud quoduis animal, eo colore quo ſobolẽ generari uolunt, tali pallio induunt atq; inſternũt. Qualis enim erit pallij color, quo admiſſarius obuelatur, talis coloris etiam partus euadet. Cæterum claudicantes aſinos curabis, ſi aqua calida totum pedẽ circumlaueris, & ſcalpello expurgaueris. quod poſtquam feceris, urinã ueterem calidã, in qua adeps maxime caprinus eliquatus ſit, aut ſi is haberi nequeat, bubulus, circũfundes, atq; hoc facies uſquequo ſanitatem adipiſcatur.

De Camelis. Didymi. CAP. XXII.

DIdymus in georgicis ſuis tradit camelum ſitim tolerare uſq; ad triduum, Scabiem uero eius cedria curari. Camelus neq; matri, neq; ſorori cõmiſcetur. Camelum autem Bactrianam in montibus Indicis, à ſuibus feris, qui iſthic cõmune cum ipſis pabulum habent, concipere idem Didymus prodit. Ex ſue uero ſiue apro & camelo fœmina, gignitur Camelus geminatũ tuber habens, quemadmodum ex equis & aſinis mulus. Multas autẽ notas quibus patrẽ refert, Camelus habet inde prognatus: nam & denſum pilum, & uirium robur poßidet, & in luto nõ facile

labaſcit,ſed à uiribus ſuis erigitur, duplumq́; pondus geſtat, comparatione aliorum camelorũ. Bactrianos *autem camelos appellant, fortaßis quòd in* Bactris *primum nati ſunt.* Vidi *camelos curſores equis in curſu cõparatos, & qui equos etiam curſu ſuperarunt.* Florentinus *in* Georgicis *ſuis prodit ſe uidiſſe* Camelopardalim. Ego *autem ab* India *adductam uidi* Camelopardalim *in* Antiochia.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA, LIB. XVII.

HAEC *inſunt in hoc libro, qui decimusſeptimus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionem admiſſionis boum, & generationis eorundem, itemq; educationis atq; omnigenæ curationis.*

De bobus. Florentini. CAP. I.

VAccas *triginta diebus antequam ſaliantur, cibo impleri non eſt permittendum: quanto enim magis gracileſcent, tanto facilius ſemen concipient.*

De bobus fœminis ſiue uaccis. Eiuſdẽ. CAP. II.

VAccæ *eligendæ ſunt bene compactæ, corporibus oblongæ, iuſtæ magnitudinis, probe cornutæ, latæ frontis, nigris oculis, maxillis contractis, ſimas, non gibboſas, explicatas nares habentes, ceruicem longam & craſſam, pectoroſæ, labris nigris, profundis lateribus, ac bene coſtatis, lato tergo, habentes umbilicũ magnũ, caudam prælongam & ad calcanea pertingentẽ, multum piloſam, bra*

chijs

chijs craſsis, cruribus rectis ſolidis, craſsis magis quàm longis, quæ non mutuo affrictu atteruntur, pedibus qui inter eundum non nimium dilatantur, ungulis non ualde diſparatis, unguibus perfectis & æqualibus, pelle ad tactũ leni, & nõ ut lignum indurata. Probant & à colore optimas, *eas quæ ſunt flaueſcentes, eas quoq; quæ nigra crura habẽt, ut generoſas probant.* Bonũ *igitur eſt ut his omnibus à natura ſit uacca ornata, ſin minus, quàm plurimis. At uero boues etiam uocẽ bubulci agnoſcunt, & uocati nominibus impoſitis intelligunt, diuertunt quoq; eò quò iubentur, iuſſáq; faciunt pro arbitrio ſui præfecti.*

De tauris. Didymi. CAP. III.

T*Auri duobus ante admiſſurã menſibus, non ſunt dimittendi ad communia paſcua cum uaccis, uerum implendi ſunt herba ac fœno, & ſi pabulum hoc non ſufficiat, cicere aut eruo, aut ordeo macerato.* Minores *annis duobus non ſunt idonei admiſſuræ, ſed neq; ſeniores duodecim.* Idem *etiam de uaccis intelligendum eſt.* Secernen*di autem ſunt à fœminis per duorum menſium ſpatium, inducendiq́; in greges armentorum, ut ipſorum alacritatem non impediamus.*

Vt boues non fiant debiles. Democriti. CAP. IIII.

E*Ruum maceratum tritum ſingulis menſibus in potu exhibe.* Plagam *boum curabis, malua ſylueſtri trita ac illita.*

De admiſſura. Quintiliorum. CAP. V.

T*Empus admiſſuræ idoneum eſt uer medium. Si uero uaccæ tauros non admittũt, ſcillæ medullam ſiue cor-*

culum, hoc eſt tenerrimas ipſius partes, & ſi ita dicere licet adipem, cum aqua terere oportet, & oblinere inde naturam uaccarum. Si uero tauri ad uenerem ſint ſegniores, cerui caudam urito & terito, uinoq́; ſubactam pudendo ac teſtibus tauri illinito, & ſtatim ſtimulabitur. Hoc non *ſolum in tauris, ſed etiam in alijs animalibus, & in hominibus eueniet. Stimulum autem libidinis diſſoluet oleum illitum. Herba quoq; polyſpermos & polygonos appellata, animalia faciet fœcundiora.*

De cognitione partus bouis qui naſcetur. Africani. CAP. VI.

QVi prænoſſe uolunt an marem aut fœminam paritura ſit bucula inita, hac obſeruatione utantur, Si quidem enim in dextram partem taurus deſcenderit, partus maſculus erit. Si in ſiniſtram, fœmina. Quòd ſi tibi marem generari uelis, tempore admiſſuræ ſiniſtrum teſticulum admiſſario obligabis, Si fœminam, dextrum. Quidam uero naturale auxilium ad hanc rem moliũtur. Et ſi quidem marem ſibi progenerari uelint, boreali aëris conſtitutione exiſtente initum appetere præparant, Si contrà fœminam, ſpirante auſtro.

De Oeſtro quod Myopa Græci, Latini Tabanum appellant. Sotionis. CAP. VII.

QVòd Myopes pungentes boues, ipſos ad inſaniam adigãt, notũ eſt. At uero nõ appropinquabũt ipſis, ſi quis lauri baccas tũdat & in aqua coquat, cõſpergatq́; inde locum in quo paſcuntur. Fugient enim Myopes ob naturalem quandam contrarietatem. Si uero iam percuſſi ſint ab œſtro boues, ceruſſam ex aqua ipſis oblinunt.

De

De uitulorum nutritione. Didymi. CAP. VIII.

LActātes boues cytiſo aut medica nutriemus. Sic enim connutritæ plus lactis habebunt. Cæterum uituli ipſi duorum annorum caſtrandi ſunt. Nam ſerius caſtrari non eſt commodum. Vulnera ipſa cinere et argenti ſpuma inſpergantur. Poſt triduum uero pice liquida & cinere modico oleo ammixto integantur.

Vt boues laborantes non laſſentur.
Democriti. CAP. IX.

Oleo & terebinthina coctis cornua illinito.

A' qua ætate incipienda admiſſura boum.
Varronis. CAP. X.

INire oportet non minorē duobus annis, ut triēnes pariant. Melius autē pariūt quadrimæ. Parit uacca ut plurimū ad annos uſq; decē. Tauri uero à trimatu uigoroſi ſunt: tēpus admiſſuræ quadrupedū à delphini exortu, hoc eſt circa Iunij mēſis principiū, uſq; ad dies XL. Geſtat in utero uacca mēſibus decē. Cæterū ſteriles & imbecilles, et ætate prouectiores, ex armentorum grege eijciēdæ ſunt. Inutilis eſt enim diligentia quæ circa inutilia adhibetur.

Vt boues à muſcis non infeſtentur.
Africani. CAP. XI.

LAuri fructum tenuiſsime tritum & ex oleo coctum, bobus illinito, aut ex ſaliua propria ipſorum boum eos inungito. Tauri illito naribus roſaceo, tenebris offuſis uertiginoſi fiunt.

Vt boues pingues facias. Sotionis. CAP. XII.

BOues pingues facies, ſi redeuntibus à paſcuis prima die braſsicam cōciſam, & acri aceto maceratā obieceris

ceris. deinde paleas excuſſas, & furfuribus triticeis mixtas, ad dies quinq;. Sexta autẽ ordei moliti heminas quatuor, & ſex ſequẽtibus diebus paulatim alimentum auxeris. Et hyeme quidẽ circa gallicinij horã nutries, deinde circa diluculũ, quando & potũ dabis. Reliquum alimenti circa ueſperam. Aeſtate autẽ primũ pabulum ſub diluculum, Secundũ ad meridiẽ offeres, deinde potũ exhibebis, & ſic tertiũ pabulum circa horam nonam dabis, & rurſus potum hyeme quidem aquam calidiorem, æſtate autẽ tepidam. At uero ora ipſorum urina colluunt incumbentem pituitam extrahentes, & linguam à uermibus purgantes uolſella exemptis. Naſcuntur enim uermes in linguis ipſorum, quas deinde ſale confricant. Sed & ſtramenti ipſorum curam habere oportet.

De medela boum, & ut ne oſſa deuorent. Paxami. CAP. XIII.

A*D præſepia neque gallinæ, neque ſues accedant. Vtrorunque enim fimus ſi edatur, animal lædit. Non deuorabit oſsiculum bos, ſi lupi caudam in præſepe ſuſpenderis.*

De ignoto morbo. Democriti. CAP. XIIII.

A*Nimalium affectus & morbi ferè omnes obſcuri ſunt. Quomodo enim quis diſcat? aut à quo percunctetur affectum qui eſt intra animal? Si igitur ſilphium tuſum cum uino meraco nigro in nares infuderis, omnem ignotum morbum curabis. Democritus conſulit incipiente uere, in potum boum ad quatuor & decem dies, ſcillæ & rhamni radices inijcere. Si uero manifeſtum morbum ægrotet bos, ſic medeberis. Saluiam*

ex

ex montana regione, & marrubium, in potu quem hauſturi ſunt macerato pari dierum numero, eoq́; exhibito curabuntur. Hoc *autem nõ bobus ſolum, ſed & alio pecori prodeſt.* Quin *& ſal pabulo ammixtus ualde iuuat.* Optima *uero & ſaluberrima eſt amurca cum aqua paulatim exhibita.* Prodeſt *& medica herba.*

De capitis dolore. CAP. XV.

DOlorẽ *capitis bouis prius cognoſcere oportet.* Quãdo *igitur demiſsis auribus non comedit, capitis dolor adeſt.* Lingua *igitur ipſorum thymo trito cum uino, & allio, & ſale tenui cõfricetur.* Ptiſana *etiã cruda uino diluta prodeſt.* Quin *& lauri folijs manus plenæ menſura acceptis, & in os immiſsis, aut mali punici putaminibus medeberis.* Et *myrrha magnitudine fabæ in duabus uini heminis diluta, & per nares infuſa curabis.*

De profluuio alui. CAP. XVI.

RHamni *folia cõtuſa, & bitumine intecta, edere dato.* Alij *mali punicæ folia tuſa, et polẽta obducta, in cibo exhibent.* Alij *farinæ frumenti ſiue tritici torrefacti heminas duas, cum aquæ menſura dimidia ſubactas exhibent.*

De cura cruditatis. CAP. XVII.

CRuditas *bouis cognoſcitur ex eo quòd non edit, & frequẽter eructat, mẽbraq́; cũ quadã torſione & ſpiritus impreſsione mouet.* Curabimus *igitur ipſum calidæ aquæ potu, & braſsicæ in aceto maceratæ faſciculo ad edendũ oblato.* Alij *braſsicæ partes teneriores ferueſaciũt ac terunt cum oleo, & per cornu in os infundũt, & amiculis inſtratũ calfacientes ad deambulationem deducunt.* Hoc *non bobus tantum, ſed etiam omni alio pecori auxiliatur.* Alij *oleæ ſylueſtris folia, aut aliarũ arborum ramos*

teneros

teneros tundunt, & aquam affuſam percolant, atque ita heminas ſex inde per biduum infundunt.

De bupreſti. CAP. XVIII.

QVidam oleum bobus in nares infundunt. Alij caprifici groſſos aqua macerant, ac diſſoluunt, & ſimiliter in nares infundunt.

De tormine. CAP. XIX.

QVi torminibus uexatur bos, in uno loco nõ perſiſtit, neq; cibum attingit, ſed ſuſpirat ac gemit. Modicum igitur alimentũ ipſi obijciendũ eſt, & caro circa ungues perpungẽda, ut ſanguis inde promanet. Quidam circa caudam aperiunt, ut ſanguis effluat, & panniculo obligant. Alij cepas & ſalem ſimul uniunt, & coacta in ſedem quàm penitiſſime protrudunt, & ad curſum cogunt. Alij nitrum tuſum per os ingerunt.

De febriente boue. Didymi. CAP. XX.

BOs febriens non admittit cibũ, deorſum nutat, lacrymatur, ſordes in oculis habet, circa oculos cauatur. Eum curant hoc modo. Ex opacis locis gramen capito, et lauato, eiq; edendum præbeto, aut uitis folia. In potu exhibeatur aqua quidem frigidiſſima, uerum nõ ſub dio, ſed maxime loco umbroſo, aures uero & nares ſpõgia aqua imbuta detergeantur. Quidam cauterio faciẽ ipſius perurunt, & partes ſub oculis itidem, easq́; ſpongia urina ueteri calida imbuta bis per diem confricant, donec cruſtæ excidant, & uulnera cicatricem recipiant. Lancinantur etiam aures ut ſanguis effluat. Quidam polentam uino ſubigunt, & edendam præbent, alij muria diſſoluunt, & amiculis cõcaleſaciunt. Alij cytiſum præbẽt cum uino. Id

quod

quod non bobus tantum, ſed & alio pecori auxiliare eſt.

De tuſsiente. CAP. XXI.

ORdeum molitum maceratum, & palearum tenerrimas partes repurgatas, & erui moliti heminas tres, in tres partes diuiſas, ſingulatim edendas præbeto. Quidam artemiſiam herbam tritam ac dilutam aqua exprimunt, & ante pabulum ad dies VII. infundunt.

De ſuppuratis. CAP. XXII.

SI ulcus ſuppuratum collegerit bos, urina bouis ueteri calida ipſum purgare ac eluere oportet, & lanis extergere. Deinde emplaſtra ex ſale tenui ac pice liquida imponere.

De claudicatione. Florentini. CAP. XXIII.

SI ob præfrigeratã partem bos claudicet, pedem lauare oportet, & affectam partem ſcalpello aperire & urina uetere fouere, deinde ſalem inſpergere, & ſpongia aut panniculo extergere, poſtea adipẽ caprinum aut bubulũ, ad ferrum calidũ affrictum dolenti parti inſtillare. Si ex calcata ſpina aut eiuſmodi quopiam claudicauerit, alia quidẽ ſimiliter facienda ſunt, Verum cera cũ oleo uetere, & melle, eruiq; farina colliquata, & refrigerata ulceri indatur: deinde teſta tenuis cribrata, ad ficus aut mala punica tuſa ammixta imponatur, & panniculo integatur, obligeturq́; diligenter, ut nihil temere ſubeat, donec ſtare potuerit. Sic enim ſanus euadet. Tertia autẽ die reſolue, eademq́; adhibe. Si uero ob influẽtis materiæ impetum claudicarit, pars ipſa cum oleo & paſſo cocto calefiat, deinde cruda ordeacea farina calida imponatur. Quum uero matura facta fuerit & mollis, diuidatur, ac eluatur,

eluatur, elotæ autem parti diuiſæ lilij folia aut ſcilla cum ſale, aut polygonum, aut marrubium tuſum imponatur.

De ſcabie. CAP. XXIIII.

SCabiẽ & eruptiones urina bubula ueteri & butyro quidã oblinentes: Alij reſinã, aut picem liquidã, cum uino cataplaſmatis modo imponunt, & ſic ipſos ſanant.

De bile. CAP. XXV.

BOum crura uſque ad ungulam perurantur, & lauacro calido aßidue caleſiant, & amiculis inſtratis contegantur.

De perfrigeratione. CAP. XXVI.

Vinum nigrum excolatum ipſis infundatur.

De uermibus. CAP. XXVII.

AQua frigida quidam irrorant ulcera, & ſic enecant uermes.

De appetente uitioſum pabulum. CAP. XXVIII.

PAbulũ ex amurca ſufficiente reſpergatur, & oleo ac reſina ſiue terebinthina, æqualibus portionibus permixtis, cornua ipſarum uſq; ad radicem illinito.

De pediculoſo. CAP. XXIX.

BOuem ſupinũ deijcere ac proſternere oportet, & capite ſurſum ſpectante, linguã contẽplari an bullas habeat. Has autẽ ferramẽtis acutis & ignitis inurere oportet, deinde ſylueſtris oleæ folijs cõtuſis cũ ſale, ulcera illinere, aut ſale tenui cũ oleo, aut butyro cũ ſale. Aut cucumeris ſylueſtris aridi radix cõtuſa, ſimul cũ ficibus ad edẽdum præbeatur. Aut polentæ heminæ duæ, & farinæ frumenti torrefacti tantundem, uino madefacta exhibeantur.

CON

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XVIII.

HAEC inſunt in hoc libro, qui decimus octauus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionē de eligendis ouibus & probandis, deq́; ineundis iiſdem & earum partu, inſuper etiam omnigenam curam ac diligentiam circa oues adhibendam.

De ouium electione ac probatione, tum marium, tum fœminarũ. Florentini. CAP. I.

OPtimæ ſunt matrices, quæ lanas gerunt multas & molles, uelleráque profunda condenſata per uniuerſum corpus, maxime uerò circa collum & ceruicem, & quæ habent aluum quoque totam lanis denſam, & copia, & mollicie, & eodem colore præſtantibus. Eſſe autem oportet ipſas oculis magnis, cruribus longis, & longa cauda. Tales enim optimæ ſunt ad agnorum educationem. At uerò arietes bene compactos eſſe oportet, pulchro adſpectu, oculis rauis & gratioſis, denſa lanis fronte, probe cornutos, modicis cornibus, auribus denſitate lanarum cõtectis, lato tergo, magnos teſtes habentes, & nihil diuerſi coloris in toto corpore. Aetas probatur tum in arietibus, tum in matricibus trium annorum. Sufficit autem unus aries quinquaginta matricibus faciendis. Satisq́; erit unus uir uiginti ouibus curandis, ſi puerũ habeat auxiliarium. Prægnans eſt ouis menſibus quinque. Optimæ ſunt oues habentes lanas explanatas, criſpas lanas habentes de-

biles natura eſſe affirmaui.

De cura & manſione ouium. Eiuſdem. CAP. II.

M*Andras plures & magis capaces ac amplas eſſe oportet, calidæq́; ac ſiccæ construantur: pauimenta quoq; ipſarum procliuia ſint, lapidibusq́; instratis exæquentur.* Præſepia *autem iuxta altitudinem pauimenti diſponantur, perticæq́; ſuper ipſa eminentes infigãtur, ut oues pabulum capientes prohibeantur ne tranſiliant. Aeſtate equidem etiam ſub dio nutriuntur, ac foris permanent ac ſtabulantur. Verum quum ſol eſt acutiſsimus, ſub umbram pellantur, non tamen econtra. Valde enim à frigore læduntur. Vt uerò non adrepant beſtiæ quæ eas deuaſtare ſolent, pili mulierum in ipſis mandris ſuffumigentur, aut galbanum, aut cornu cerui, aut caprarum ungulæ ſiue pili, aut bitumen, aut caſsia, aut conyza, aut aliud quippiam graue olens, ſingula per ſe, aut etiam plura ex his, aut ſimul omnia. Ad ſtratum ouilium utendum calamintha, aut aſphodelo, aut pulegio, aut polio, aut conyza, aut abrotono. Huiuſmodi enim beſtias reptiles fugant. Pabulum obijciatur cytiſus, medica, fœnogræcum, auena, leguminum'que ac hordei paleæ, quæ præſtantiores fiunt, ſi in area per muriam irrorentur. Quin & ficuum olynthi immaturi elapſi, foliaq́; fici aſsiccata, ouibus commodum alimentum præbent. Cæterum ad paſcua educendæ ſunt, æſtate quidem ante ſolis exortum, rore nondũ diſſoluto. Semper autem proſpiciendum eſt, ut ſolem in cœlo habeant. Numerus gregis ſemper ſit impar, ut qui naturalem quandam uim habet, ad gregis ipſius ſalutem ac*

durabi

durabilitatem permanſuram.

De admiſſura & partu.

Didymi. CAP. III.

ARietes duobus menſibus ante admiſſuram ſeparandi ſunt, eiſq́; largius pabulum exhibendum. Vbi uerò uires & facultatem ſufficientem collegerint, ad fœminas dimittendi. Aetas arietum utilis ad initum, ab annis duobus uſque ad octo. Similiter & in fœminis. Noſſe autem operæprecium eſt, quòd arietes magis oues ueteres perſequuntur, ut quæ facilius citiusq́; ineantur, deinde etiam nouellas. At uerò tardius iniri non oportet. Eſt enim nocium. Quidam quo per omnem ferè annum agnos ac lac habeant, tempus admiſſuræ diuerſimode in ſingula anni tempora diſponent. Validi enim ad initum fiunt arietes, ſi ſæpe ipſis in pabulo ammiſceantur, & multifera herba polygonos appellata, unde etiam reliqua pecora ad coitum excitantur. Iiſdem etiam aquis & non peregrinis eſt utendum. Quòd ſi quis mares ſibi plures gigni uelit, contra ſeptentrionales uentos paſcente grege, die ſerena, arietes admittat. Si fœminas, auſtro à tergo adſpirante. Hoc ipſum & in his, & in omnibus animalibus conuenire uidetur. Et ſi dexter teſtis obligetur, uelut in bobus dictum eſt, fœmina gignetur, Mas contra, ſi ſiniſter. Recens natæ ouiculæ ubi lacte impletæ ſunt ſeorſum habendæ ſunt. Si enim ſimul cum matricibus ſtabulentur, conculcantur. lac uſq; ad duos menſes non emulgeatur, quanquam præſtiterit id nunquam emulgeri. habitiores enim agni euadent. Ouiculas ex primiparis natas abalienare oportet, uelut ineptas ad diuturnitatem.

Vt oues ſequantur. CAP. IIII.

Lana aures ipſarum obturato.

Vt aries non incurrat nec impetat. CAP. V.

Cornua ipſius prope auriculas eius perforato.

Vt prægnante oue cognoſcatur qualem colorem habeat fœtus. CAP. VI.

APerito prægnantis os, & ſi quidem inueneris linguã ipſius nigram, nigrum agnum pariet. Si uerò albam, album. Si autem uariam, uarius erit & partus.

Vt agni non ægrotent. CAP. VII.

HEderam ad dies ſeptem edendam exhibe, & non ægrotabunt.

Quando & quomodo oues tondendæ ſint. CAP. VIII.

NEq; frigore adhuc exiſtente, neq; æſtatis tempore, ſed medio uere, oues tondere oportet. Vulnera quæ inter tondendum contingunt, pice liquida illinantur. Reliquũ corpus ex uino et oleo aut ſucco lupinorũ amarorũ decoctorũ. Præſtat tamen uinum pari amurca mixtũ, aut oleum & uinum albũ, cera & adipe ammixtis illini. Hoc enim & lanæ nocumentũ non affert, & ſcabiem fieri nõ permittit, & ulcerationẽ fieri prohibet. Obſeruare autẽ oportet ut probe deterſæ, poſt primã diei horam, reſiccato rore per noctem in lanas illapſo, tondeãtur, magis utiq; in ſole. Exudante enim dum tondetur ouicula ſudor lanis excipitur, lanaq; coloratior & mollior redditur.

De capris & hircis. Florentini. CAP. IX.

CApræ montanis locis gaudent. Eſtq; hoc animal in multis

multis ſimile oui, ſalitur iiſdem temporibus. geſtat in utero menſibus, ueluti oues, quinq;: parit ferè gemellos, et natos nutrit, et reditus nō modicos affert, de lacte et caſeo ac carne. Inſuperq́; à pilo. Pilus ipſe neceſſarius ad funes ac ſaccos, & his ſimilia, & ad nautica miniſteria: quæ enim inde facta ſunt, neq; facile inciduntur, neq; computreſcunt naturaliter, niſi ualde neglectim habeantur. Ex matricibus eligere oportet bene compactas, magnasq́; ac plenas, & quæ corpus leue habent, pilosq́; denſos, & ubera magna ac tumentia. Tales enim & durabilitate meliores ſunt. À natura enim animal eſt ægre frigus ferens, deniq; naturaliter ſemper febricitat. Et ſi quando defecerit febris, intereunt. Ex hircis præferunt magnos, bonis lateribus præditos, & coxendicibus magnis, denſoq́; ac longo & albo pilo, et qui ceruicē breuem, itemq́; collum breue & craſſum habent, guttur uerò longius. Optimū autē tempus admiſſuræ eſt ante ſolſtitium hyemale. Hircus porrò non aufugiet, ſi barbam eius præcideris.

Vt capræ multum lac præbeant. Eiuſdem. CAP. X.

HErbam quinquefolium pentedactylon Græcis dictam, ante quàm bibant, ad dies quinque edendam præbe. Capræ multum lac faciunt, ſi dictamnum circum uentres ipſarum alligaueris.

Ne oues & capræ peſtilentia laborent. Quintiliorum. CAP. XI.

SI ciconiæ uentriculum aqua contritum, cochliarij unius menſura ſingulis infuderis, peſtilentia non tentabuntur.

De lacte, & ut pecora multum lac faciant. Africani. CAP. XII.

OMnia pecora immenſum lac dabunt, unáq; fœtum enutrient, ſi cytiſum comederint, aut dictamnū uentribus ipſarū alligaueris. Lac ad ignem ſi tepefiat, & fici ramulo moueatur, coagulatur. Verum lac acetoſum, oxygala Græcis dictum immiſſum in oleum, aut in terebinthi folia compoſitum tenerum permanet.

De medela ouium. Leontij. CAP. XIII.

PRouidere oportet ut oues primum peſtilentem morbum non incidant. Vere itaq; incipiente ſaluia montana, & marrhubium herba, ſimul tuſa in potū miſceātur, ad XIIII. dies. Idem et autumno totidē diebus faciendū eſt. Si uerò eas corripiat morbus, iiſdem remedijs utendū. Cytiſi quoq; fœnum prodeſt in pabulo ſumptum, & harundinis duriſſimæ radices tenerrimæ in potu maceratæ. Aegrotantes inſuper in aliam regionē transferendæ ſunt, ut neque ſanæ ipſis permiſceantur, & ipſæ aqua & aëre alio participantes conualeſcant ac corroborentur.

Luporum captura. Diophanis. CAP. XIIII.

LVpos uenaberis hoc modo, Blemmi piſces ſunt parui marini, quos aliqui lupos appellant. hi uenationē terreſtrium luporum perficiūt hoc modo, Viuos ipſos quàm plurimos piſcaberis, & conteres in mortario aut pila, & prunam plurimam excitabis in monte, in quo lupi uerſantur, uento uidelicet ſpirante, accipiesq; ex his piſcibus, et in ignem mittes. Cruorē deinde & carnes agninas tenuiter conciſas probe permiſcebis, & ad cōtuſos piſces adijcies, ſecedesq; ex illis locis. Poſtquam enim rogus grauiter

olere

olere cœperit, lupi eius regionis omnes congregabuntur. Vbi autem participauerint carnibus aut odore, tenebris offuſis uertiginoſi redditi ſoporabuntur. Itaq; uelut torpentes ipſos reperiens mactabis.

De ſcabie. Didymi. CAP. XV.

SCabies ne ab initio quidem acceſſerit, ſi quis poſt tonſuram oues ex his quæ diximus, illinat. Si uerò ex negligentia tua contingat, curabis ipſam hoc modo. Amurca inſulſa excolatur, & aqua in qua lupini amari macerati ſunt, & fex uini albi, ſingula pari copia mixta in uaſculo calefiunt, & ex his illita ouis ad biduum permanet. Tertia deinde ex aqua marina, aut muria calida lauatur, & poſtea etiam ex aqua potabili. Alij cupreſſi pilulas ſimul cum aqua affundunt. Alij ſulphur & cyperum, cum ceruſſa & butyro tuſa illinunt. Quidam mingente aſino in uia, id quod conſtitit lutoſum illinunt. Quidam adhuc diligentiores melius faciunt, & non prius quicquã prædictorum remediorum ſcabioſæ adhibent, quàm pars affecta ſit detonſa, & urina uetere confricta. In Arabia tamen cedriæ illitione cõtenti ſunt, quemadmodum etiam in camelis ac elephãtis. Scabiem porrò ouium curabis etiam urina lauando, & ſulphur cum oleo illinendo.

De pediculari morbo. Eiuſdem. CAP. XVI.

SI pedunculos aut ricinos habeant oues, aceris radices contundantur, & aqua addita coquantur, & poſtquã à capite uſq; ad ſpinam, lanam ac uellus diuulſeris, hæc aqua tepida infundatur, donec per totum corpus progrediatur. Quidam & hic cedria ſola utuntur. Alij mandragoræ radice conſimiliter utuntur. Cauendum autem

ne guſtent inde, periculum enim inducit. Alij cyperi radicem decoquunt, & cum decocto lauant.

De diuerſis morbis. Anatolij. CAP. XVII.

SI ſolis ardor oues læſerit, caduntq́; aßidue, et nõ edũt, betæ ſylueſtris ſuccus exprimatur & infundatur. Coganturq́; etiam ipſas betas edere. Si difficilem habeant ſpiratione͂, aures ferro incidantur, & in alios locos transferantur. Si tußis uexet, amygdalæ purgatæ & tuſæ, uini cyathis tribus mixtæ, per nares infundantur. Si ex nocentiore pabulo uenter intumeſcat, ſanguinis detractione curabis ipſas, lancinatis & apertis ſupra labra uenis, & his quæ ſub cauda ſunt, iuxta ſedem, ſed & hominis urinã ſeſquiheminæ menſura infundere oportet. Si uermes cum herba comederit, idem faciendum eſt. Si hirudinem glutiuerit, acetum acre calidum aut oleum infundatur. Si abſceſſum in ſuperficie habeat, diuidatur, & in uulnus ſal tenuis torrefactus cum pice liquida imponatur. Si à reptili quopiam morſa ſit aut percuſſa, melanthium cũ uino præbeatur, fiantq́; & obijciantur ea quæ in bobus, & reliquis prædiximus. Lupi in pecora non facient incurſum, ſi ſcillam ei qui dux gregis appellatur, alligaueris.

De caprarũ gregibus. Berytij. CAP. XVIII.

CVram caprarum eandem faciemus quam ouium, tum in nutricatu, tum in morbis. Quod uerò proprium ipſis eſt, non uidetur relinquendum: non enim uelut oues ſimul paſcuntur, ſic etiam capræ gregatim paſcua carpunt, ſed maxime inuicem diſcedentes, ſaltantesq́; ac laſciuientes late paſcua perſequuntur, & præruptis locis gaudent. Quòd uerò plus ſenſus & intellectus habeat capra

quàm

quàm cætera animalia irrationabilia, uel ex eo maxime oſtenditur, quòd ubi oculos hebetes ac obtuſos ſibi eſſe percipit, in iūcos acutos, oxyſchœnos Græcis uocatos ingreditur, & ſeipſum illorum ſtimulis perpungit.

De caſeo faciendo. Eiuſdem. CAP. XIX.

PLerique caſeos conglutinant, quod primum aliqui ſuccum, ſiue opon uocant, plurimi autem ex agricolis pithyan, id eſt, coagulum ipſum nominant. Præſtat hoc ex hœdis. quanquã & ſal torrefactus lac coagulet, et fici ſuccus, et teneri ipſius ramuli aut folia, et pili qui in uerticulis cinaræ herbæ enaſcuntur, qui aliàs inepti ſunt ad cibũ, & piper, & domeſticæ gallinæ pellicula, quæ intra uẽtriculum ſtercori deſtinata eſt, & echinus, hoc eſt erinaceus, ab aſpritudine Græcis appellatur. È ſalicis cortice paſta pecora acerbũ & præſtantius lac reddunt, & multos magis à cytiſi pabulo. Durat lac ad triduũ, ſi pridie quàm reponas in uas effuſum ac ferueſactum rurſus in aliud tranſfuderis, & ferula aut harundine moueris, donec frigeſiat, modicumq; ſalem inſperſeris. Tener & mollis diutius manet caſeus, cnici ſemine ex aqua tepida exceptus, aut eodẽ cum melle tepido adiecto. Perdurat integer, aqua potabili lotus, & in ſole ſiccatus, ſi in fictilibus componatur cum thymbra aut thymo, ſeparatis inuicem quantum fieri poteſt caſeis qui ſic componuntur, deinde aceto dulci aut aceto mulſo affuſo, donec liquor per omnes progreſſus ſuperemineat. Quidam caſeos in aquam marinam coniectos aſſeruant. Albus manet caſeus in muriam iniectus. Solidior uero & acrior ſuper fumum poſitus. Videtur autem omnis caſeus ſi in legumen, & maxime ciceculam conijcia-

tur,durabilior fieri. Si uero ob uetuſtatem durus aut amarus ſit, in omelyſi permadeſcat. Eſt autem omelyſis farina ex hordeo nō torrefacto facta, deinde in aquam caſeus mittatur, & poſtea quod in ſuperficie hæret adimatur.

De probatione lactis. Eiuſdem. CAP. XX.

LAc probabis an aquam habeat, iunco acuto immiſſo & extracto, lacteq́; ad unguem inſtillato. Si enim cito ab ipſo defluxerit, aquā ammixtam habet. Si uero permanſerit in ungue, integrum exiſtit.

Melcæ præparatio compendiaria. Paxami. CAP. XXI.

PRæparatio Melcæ extemporalis & præſtantior fiet hoc modo. Nimirum ſi in fictilia uaſa noua acetum acre immiſeris, poſuerisq́; ipſa in calidum cinerem, aut ad lentum ignem, id eſt ad prunas, & ubi paululum effirbuerit acetum, ut à uaſis combibatur, uaſa de prunis detraxeris, & in eadem uaſcula lac miſeris, atq; ipſa in arculam, aut ciſtam, aut ubi immota maneant, depoſueris. Sequenti enim die melcas multo longe præſtantiores habebis quàm ſunt quæ multa arte parantur. Vaſcula tamen poſtquàm ſemel aut iterum ipſis uſus fueris, permutabis.

CONSTANTINI

CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIBER XIX.

HAEC inſunt in hoc libro, qui decimus nonus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet deſcriptionem de cura ac ſtudio circa canes adhibendo, & de

& de leporibus ac ceruis, & de ſuibus, & de ſalſura carnium.

De canibus. Varronis. CAP. I.

PEcoribus cuſtodes adhibebimus etiam canes generoſiores. Non ſunt autē hi ignobiles, adeò ut non præ alijs cognoſci queant. Habent enim corpora magna, robore autem ualidi ſunt, & nihil humile ſpirāt, latratu graui & perterrefactorio utentes, et ſi quis accedat, non fruſtra neq; temerario impetu cōcitantur, ſed deliberant ubi & in quos impetum facere oporteat. Fortiores enim ſunt tales, & ægre teneri poſſunt. Cuſtodiendi porrò ſunt paſtorales canes, crudo corio collo ipſorum circundato, gutturéq; ac totis faucibus munitis, ita ut ferrei aculei ab ipſis exurgant. Si enim aliqua harum partium à beſtia impetente cōtingatur, canis occidetur. Si uero aliā quampiam partem momorderit, uulnus ſolum ſequetur. Oportet autem adæquare naturam ac ætatem & maſculi & fœminæ, & caue ne canes ex eadē matre prognati inuicē coëant. Prægnātes nutriemus nō frumētaceis, ſed ordeaceis panibus. Hi enim maxime nutriunt, oſſa quoque ouium citra carnē obijciemus. Vbi autē pepererint, farinā hordeaceam lacte bubulo aut caprino mixtā apponemus, & oßa prædicta cocta. Potus uero ſit aqua. Cæterū catulis recens æditis opitulabimur. Non enim eis ſufficit matris papilla, ſed panes lacte bubulo, & oßium iuſculo madefactos ad edēdum offeremus. Quin & ipſa oſſa eis apponenda ſunt, ut & ſolidos reddant, & exacuant eorum commorſu dentes.

Aliud de canibus, Frontonis. CAP. II.

Ex

EX canibus approbantur, mares quidem qui magnanimi ſunt, & aurium ac corporis mole conſpicui, oculos nigros, naſum concolorem habentes, labra nigrantia aut ſubrubra, & dentes acutos, caput longum, pectus latũ, artus lõgos, brachia ſolida et craſſa habẽtes, crura recta, ſin minus, parua minus quàm reſoluta. pedes magnos, et q interſeudũ dilatẽtur, digitos in articulos probe digeſtos, ungues incuruatos, ſpinã rectam uſq; ad caudã. Caudã uero craſſam, ab exortu contractam totam, & qui latratum grauiſſimum ædunt, coloris albi, maxime qui ouilia ſequũtur, oculis rauis, & leonini adſpectus, ſiue pilis hirti ſint ſiue nudi. Probantur item qui magnum oris rictum habent. Similiter & qui ceruicem amplam, & collum latum. Diſce autem ſemel hic, colli appellatione totum ambitũ colli circum circa uenire. Ceruix autem eſt in homine quidem poſterior pars colli: erectus enim ſtat homo. In animalibus uero ſuperior, prona enim animalia incedunt. atq; hæc quidem αὐχὴν, illud uero τράχηλος Græcis appellatur. Quum autem δειρὴν uocem audieris, in hominibus quidem anteriorem colli partem intellige, in animalibus autem inferiorẽ. At uero fœminas canes præferunt, quæ prædictis inſignib. ſunt exornatæ, inſuperq; magnas mammas habent, & papillas in ipſis pari magnitudine. Sunt enim aliquæ canes quæ ipſas marcidas, & inſtar ligni induratas habent, ſiue hirtum, ſiue nudum aliâs ſit corpus. Videtur autem hirſuties multum terroris incutere. Admiſſura facienda eſt ueris initio, quo partus circa ſolſtitium æſtiuum contingat. geſtat enim fœtum menſibus tribus. Statim ut æditi ſunt catuli, degeneres aut aliâs detrimentum aliquod habentes, abijciantur

ciantur, ex ſeptemq́; relinquendi ſunt tres aut quatuor, ex tribus uero duo. Subſternunt ipſis paleas, ut molliter cubẽt & concaleſiant, frigus enim & hoc animal ægre fert. Suſpicere & oculos aperire uidentur catuli octauo die. Verum cum matribus ſinere ipſos per duos menſes oportet, deinde ſenſim procedendo ipſos deſueſaciunt. Illinunt porrò catulos ex amygdala amara cum aqua trita circa aures, & intra digitos, ut neque muſcæ aſsideant, & exulcerationem inducãt, neq; ricini aut pediculi premant. Quin & complauſu ad pugnam mutuam eos incitant, & opprimi non ſinunt, ut ne timidi, & formidoloſi ac conſternati euadant, ſed & audaces fiant in laboribus, & in nulla re ad ullam occaſionem cedant. Vinculis præterea ipſos adſueſaciunt primum quidem loro, deinde particulatim ferro. Cæterum demortua pecora ipſos contingere non ſinunt, ut ne adſueſcant etiam uiua aggredi & impetere. Aegre enim ab hoc more trãſmutari poſſunt, ubi ſemel crudas carnes uorare contigerit. Connutriendi ſunt canes iuxta cognationem, naturaliter enim mutuam opem ferunt. Oportet autem aduerſus beſtiarum impetus, uelut ſunt hyenæ & lupi, guttura ac colla ipſorũ uelut thoracibus quibuſdam ferreis contegere, qui clauares aculeos duorum digitorum ſpatio inter ſe diſtantes habeãt. Quòd ſi uelis retinere canẽ ut non aufugiat, butyro ipſum à capite uſque ad caudam illinito. Sequetur autem te canis, ſi alterius canis ſecundam panniculo illigatam ipſi olfaciendam obtuleris.

De cura canum, Theomneſti. CAP. III.

RAbientes canes concludantur, eibusq́; nõ præbeatur, ad diem

ad diem unum, deinde ex ueratro quippiam in potum miſceatur: quumq; fuerint purgati, hordeaceo pane nutriantur. Eodem *modo etiam commorſos à rabioſis canibus curabis.* Pulices *canum perdes aqua marina & muria, deinde cyprino illito cum ueratro, aquaq; & cumino, & uua acerba.* Aut *cucumeris radice illita cum aqua.* Præſtat *autẽ amurca corpus illinere, ſcabioſis enim medebitur.* Ricinos *& alios morbos canum corpus peius affectum habentium curabunt ea quæ ad oues ſunt relata.*

De leporibus: Democriti. CAP. IIII.

QVòd *idem lepus aliquando quidem mas, aliquando uero fœmina fit, & naturas tranſmutat, & quandoque uelut maſculus generat, quandoq; uero ut fœmina parit, in manifeſto eſſe* Democritus *tradit.*

De ceruis. CAP. V.

CErui *formidant funiculum, qui pennas quaſdam circumſitas & appenſas habet, nimirum pennarum motum imaginantes.* Contemnunt *autem eiuſmodi terriculamenta, ubi homines ipſis aſtantes uiderint.* Tibias *uero & fiſtulas concinnas audientes, non aufugiunt, ſed iucunditate tonorum capti permanent, atque ſic capiuntur.* Ceruus *adducendo & attrahendo ſpiritu ſuo ſerpentem uertiginoſum facit, & ad ſe attrahit.* Si *quis cerui caudam uſtam & tritam cum uino, teſtibus illinat ac pudendo animalis ſalientis, intenſiorem uenerem in ipſo excitabit.* Soluetur *contrà hic impetus oleo inuncto.* Idem *etiam hominem facere non fuerit importunum.*

De ſuibus. Florentini. CAP. VI.

FOeminas *ſues probant oblongiores, & ambitum habentes*

bentes corporis grandem, capite ac pedibus exceptis. Quæ enim parua capita & crura breuia habent, præſtantiores habentur, ſed & quæ unius ſunt coloris, uarijs præferuntur. Eodem modo & uerres probant. Et ſi præter prædicta, pilum iuxta ceruicem & nexum ſcapularum habuerint magnum, & iubam denſam. Iubam autem appellamus pilos iuxta ceruicem erectos: & ſi uentris ſignum habeãt promiſſum. Expedit hoc animal ſæpe potatum agi, & præſertim æſtate, ægreq; frigus ſuſtinet, & facile ab eo male habet. Ob quam cauſam haras ipſis conſtruunt, unde hyeme non prius exigunt quàm glacies ſit diſcuſſa. Qui ipſos emere uolunt, ex pilis de iuba euulſis ſanitatis ipſorum notas ſumunt. Si enim hij fuerint cruentati, morbum indicare aiunt, puros uice uerſa. Optimum tempus admiſſuræ eſt à zephyri ſiue fauonij flatu, uſq; ad æquinoctium uernũ, ut partus in æſtate fiat. quatuor enim mẽſibus uterum geſtat. Poſtquàm autem cõceperit, uerres ab ipſis ſeparant. Impetum enim in ipſas faciẽtes & lancinãtes, abortire ipſas faciunt. Sufficit autẽ unus uerres decem fœminis imprægnandis. Editæ ſuculæ per hyemẽ animo linquuntur, ob aëris diſtemperantiã, & quòd lacte non ſufficienter fruuntur, depellentibus ipſas à ſeſe matribus, propterea quòd papillæ mammarum ob inopiam lactis uiolenter à ſuculis comprimantur, & à dẽtibus exulcerantur. Poſtquam pepererint, duobus mẽſibus ſuculæ cum matribus eſſe ſinũtur, poſtea ſeparantur. Matrẽ uero admiſſuræ ſubdunt, ut ex toto anno octo mẽſes ad ferendũ partum ipſi diſtribuantur, & quatuor menſes ad enutritionẽ editorũ. Vnaquæq; autẽ Scrofa in propria hara includenda eſt, ut non miſceantur inter ſe

ex di

ex diuerſis edita, & ut ſoboles matricibus adſueſcat, & uiciſsim porcelli à matre cognoſcãtur. Si enim inter ſe fue rint permixti, impoßibile eſt matri ſuos cognoſcere. Melius autem unaquæque Scrofa ſuos alit. Nutritur hoc ani mal maxime glandibus. Pingueſcit etiam furfuribus frumẽ taceis, & quiſquilijs arearum, & frumento. Hordeum autem ſupra hoc quod pinguefacit, etiam ad generationẽ indifferens animal facit. Porci peſtilentem affectionem nõ incurrent, aut illapſi ſanabuntur, ſi in aquam unde bibũt, aſphodeli radices cõieceris, aut etiã ubi frequẽter lauãtur.

De medicina ſuum. Didymi. CAP. VII.

P*Orci nõ ægrotabunt, ſi nouem cancros fluuiales edendos præbueris. Cognoſcuntur ægrotantes ſues euulſis è ceruice pilis. Si enim ipſi pili puri fuerint ſani ſunt. Si uero cruentati, aut ſaniẽ quandam craßiorem circa pilos habuerint, ægrotant. Democritus igitur phyſicus aſphodeli radicis modice tuſæ minas tres, ſingulis ſuibus in cibo amiſcere iubet, & ante ſeptimum diem firmã ſanitatẽ inde recuperare teſtatur. Si febricitẽt, ſanguis ex cauda detrahẽdus eſt. Si tonſillæ infeſtẽtur, ex ſcapulis ſanguis auferatur. Si uero ignotus morbus occupet, per diẽ ac noctẽ totã includãtur, neq; cibus, neq; potus ipſis offeratur. Verũ radices cucumerũ ſylueſtriũ tuſæ in aquã mittãtur per diẽ ac noctẽ, ipſaq; aqua poſtridie in potu præbeatur: poſtquam enim largius biberint, paulo pòſt morbi cauſam ſimul euo mẽt. Quãdoquidẽ uero edax animal eſt, ſpleneq; maxime ægrotat, prunas tamaricis in aqua extinctas in potu exhibe. Sed et hoĩes uinũ pro aqua ſupra miricæ prunas fuſum ac potatum ſanabit. Cui rei euidẽs teſtimoniũ Democritus*

præbet

præbet. Idē Democritus hominis ſpleni) medelā promittit, ſi ferrū prunis candefactum aqua extinguas, deinde aquā aceto miſceas, & bibendam dolenti ſplenē præbeas. Quum uero à reptilibus commorſæ fuerint ſues, iiſdem auxilijs quæ ad pecora prædiximus, curabuntur.

De feris ſuibus. Democriti. CAP. VIII.

SI uelis ab incurſu ſylueſtriū ſuum ſecurus eſſe, cancri ungulas ac pedes pro amuleto alligatos habeto.

De ſalſura carnium omnium. Didymi. CAP. IX.

REcentes plurimo tempore permanēte carnes, repurgatæ & perfrigeratæ ac reſiccatæ, in locis umbroſis ac humidis poſitæ, borealibus magis quàm auſtralibus. Suauiores autem fiunt niue circumpoſita, paleisq; ſuperiniectis. Animalibus quorum carnem ſalire uolumus, pridie potum non exhibebimus. Oportet eos qui carnem ſale aſſeruare uelint, oſſa de carnibus eximere. Sal autem frictus ſalſuræ eſt accōmodatiſsimus. Cæterum uaſa in quibus ſale inueterari carnes debent, meliora ſunt in quibus oleum fuit quàm acetum. Carnes caprarum & ouium, aut ceruorum optime ſaliuntur, ſi poſtquàm primum ſale fuerint conſperſæ, humiditas & ſanies omnis eximatur ac detergeatur, rurſumq́; ſale conſpergantur, & deinde in uinacea ab acinorum pellicula non ſeparata ſic componantur, ut ſe mutuo non contingant, uerum medius locus uinaceis ſit expletus. Si uero & muſtū dulce ipſis effuderis, lōge meliores facies.

CONSTANTINI CAESARIS DE AGRICVLTVRA LIB. XX.

HAEC inſunt in hoc libro, qui uigeſimus eſt ſelectarum de agricultura præceptionum, & continet piſciũ nutritionẽ, & ex diuerſis locis in unũ congregationẽ, & de uenatione ipſorũ, & de cõpoſitione omnis generis ineſcationũ, quæ ad capturã piſcium diuerſorũ tum fluuiatiliũ, tum marinorũ efficaces exiſtũt.

De piſcina, piſciumq́; altura. Florentini.

CAP. I.

PIſcinæ in mediterraneo loco faciendæ ſunt, in quantũ quis uult & poteſt. Piſces uero inferendi, qui aqua potabili paſci ſolent, aut à mari in dulcem aquam ſubire. Qui uero prope mare ad ſtagnũ habitant, quodcunq; genus piſciũ maris pars maxime nutrit, hoc ipſum in piſcinã manu fabricatam inijciunt. Sed & locorũ natura reſpicienda eſt, & ſiquidẽ fuerit paluſtris locus, paluſtres piſces, ſi uero aſper, petroſi appellati immittantur. Pabulũ inſuper inijcitur tenerrima herba, & minutiſsimi quiq; piſciculi, & quorundã pinnæ ac inteſtina, ficus etiã molliores cõciſæ, & caſeus tener, marinis præſertim & petroſis, ſquilliq́; ac gobij, aut q̃cquid eiuſmodi fuerit in promptu, panis quoq; furfuraceus, & ficus ſiccæ cõciſæ. Paluſtres porrò piſces ubiq; erũt, ſi polyſporon herbã quæ polygono ſimilis eſt, cõciſam aquis piſces alẽtibus inieceris.

Vt piſces in unũ locũ cõgregẽtur. CAP. II.

Pulegij,

PVlegij, thymbræ, origani, ſamſuchi, ſingulorũ drach. III. corticis thuris, myrrhæ, ſinopidis, ſingulorum drach. VIII. polentæ uino odorato diſſolutæ minam dimidiã, hepatis porci aſſati drac. XXIIII. adipis caprini tã tundẽ, allij tantũdẽ, ſingula ſeorſim tũdito, deinde arenam tenuem ammiſceto, & horam unam aut alteram in locum antea immittito, retiaq́; circundato. Alij delphinium herbam maſculam contuſam & cribratam immittentes, prouocant piſces ut manibus prehendant. Quidam allij minam dimidiam, & ſeſami torrefactæ tantundem, pulegij, origani, thymi, ſamſuchi, thymbræ, ſtaphidis ſylueſtris, ſingulorum drach. XXXII. Polentæ minam, alicæ tantundem, corticis thuris drach. XVI. cum terra & furfuribus commiſcent ac inijciunt.

Vt fluuiales piſces capias. Didymi. CAP. III.

ADipis ouilli, ſeſami torrefacti, allij, uini odorati, origani, thymi, ſamſuchi aridi ſingulorum moderatas portiones tundito, & pane exceptas inijcito.

Vt piſces omnigeni in unum locum congregentur. Democriti. CAP. IIII.

BOum, caprarum, ouium, ſuum ſanguinem, & tenuiũ inteſtinorum ſtercora, thymi, origani, pulegij, thymbræ, ſamſuchi, allij, uini odorati fæcis, ſingulorũ pares portiones, adipis aut medullæ eorundem animalium quantum ſatis uidebitur: omnia ſingulatim & ſimul contundito, et in maſſas redigito, eaſq́; in locos ante horam inijcito, retibuſq́; eoſdem cingito.

Ad omnes piſces. CAP. V.

SAnguinem capræ nigræ, uini odorati fæcem, po-

lentæ maſſam, ſimul miſceto, & pulmonem capræ tenuiſſime conciſum ſimul ſubigito ac utitor. Si uerò circum funiculum piſcatorium ſalem adſperſeris, nemo piſcẽ uenabitur.

De capiendis piſcibus. Tarentini. CAP. VI.

V*Olebam tibi uir colendiſsime certius de ipſis explicare naturam, ut ita dicam, & uitam & initum, & nutritionem, & totius uitæ ipſorum longitudinẽ, & quæ ſpecies ipſorũ marinæ, & quæ fluuiales, & quæ paluſtres ſint. Deinde ſingulatim quæ ſquamoſæ, & quæ ſpinoſæ, quæ leues, quæ mollis teſtæ, quæ animal pariant, quæ oua, quæ ſolitariæ exiſtant, quæ inter ſe amicæ, quæ ſe mutuo uorẽt, & quæ in totum ſe mutuo non contingant. In tantũ enim uento ita ferente uolebã procedere, ut nihil eorũ quæ in mari degunt me clã eſſet. Verũ de his aliàs tempeſtiuè trademus. Nunc uerò quũ uideam quoſdã ad ſingulorũ uenationum cupidè ferri, magnanimiter itaq; huc delatis, tũ communibus, tum proprijs ſingulorũ uenationibus oſtẽſis, omnẽ expectationẽ liberaliter explebo, et re ita poſtulãte, inſup oĩa cognoſcẽda exhibebo, quæ Aeſculapius, et Menethus, & Paxamus, et Democritus de his ꝓdiderũt.*

Ineſcationes piſcium. CAP. VII.

I*Neſcatio mugilum, baſtiancæ, ſcorpiorum, acipenſerum, pagrorum, chalceorum, ſcarorum, glaucorum, mullorum, hamiarum, rhaphidum, pulchrorum, thynnorũ, trachurorum, ſacutorum, melanurorum, cerrorum, capitonum, polypodũ, uulpecularum, uocarũ, muriũ, mormyrorum, ſmylorum, ſepiarum, pholidum, locuſtarum, torpedinis, iulidum, alabetorum, ſargorum, ſquillorum, chaacio*

r acio

raciorũ,ſolearum,auratarum,aleantridum,aloſarum,illorum,ſacrorum piſcium,cordylarum,gobiorum, ad lepten gryten marinam, genaridum,dacis,porcorum muſtelarũ, lepidoti,orphi,leucopidis,murenarũ, coracinorũ,anguillarum,locuſtarum,buccinorum,lamiarum , purpurarum, luporum,& ad omnia omni tempore,et ad gryten tenuẽ. Primum omnium autem illicit magnos piſciculos uelut illos,lacos,pagros,& omnes magnos piſces ſimiliter.Hæc enim ineſcatio ſimul ut ad hamum peruenit,aquamq́; contingit,parui piſciculi magnorum piſcium incurſum cauẽtes decedunt.Naturali autem uoluptate ineſcationũ,parui piſciculi ex proprijs latebris exeunt , etiam ſi ſtadijs duobus abſint,luduntq́; ac inter ſe pugnãt, naturaliterq́; ducuntur,& cum uoluptate attrahuntur,ut neq; reluctẽtur,neq; funiculum piſcatorium auellant ac rumpant.

Compoſitio ineſcationis. CAP. VIII.

SIluri uiroſi drach.VIII.papilionum fuluorum uolatilium,aniſi,caſei caprini,ſingulorum drach.IIII.opopanacis drac.II.ſanguinis porcini drach. IIII. galbani drac.IIII.Omnia diligenter terito,et ſimul mixtis uinũ ſincerum auſterum affundito,& collyria inſtar ſuffimentorum formato,atq; in umbra ſiccato.

Alia compoſitio ad ſolos coracinos ingentes propter illecebræ excellentiam.

CAP. IX.

LEntis torrefactæ ſcrupulos VIII. cumini torrefacti drac.I.umbilicorum mugilum crudorum drach.IIII. coronopodij herbæ drac.IIII.anthyaliorum amarorũ hoc eſt crudorum drach.I.palmæ paſſæ drach. IIII. caſtorij

drach. I. *Omnia trita anethi ſucco ammixto in collyria redigito ac utitor.*

Ad fluuiales piſciculos. quo Anus uſus eſt.

CAP. X.

SAnguinem uituli & uitulinas carnes ualde cõciſas in uas, fictile mittito, ac ſinito per dies decem, poſtea pro ineſcatione utitor.

Ineſcatio qua piſces in promptu habentur.

CAP. XI.

Polentam ſubige, & maſſas inde factas ipſis obijce.

Ad gryten fluuiatilem. CAP. XII.

FVrfuris ordeacei minas duas, lentis integræ chœnicẽ unam miſce, & garo ſincero ſufficienti macera, et ſeſami chœnicem adde, indéq; paulului diſperge, & circũ circa obijce. Simul enim ut diſperſeris, omnis tenuis grytę aduenier: imò, etiamſi ſtadijs quinq; abſit, in unum con ueniẽt omnes. Cæterum magni piſces ab odore diffugiẽt. Sic igitur utaris, & ſuccedet.

Ad porcos. CAP. XIII.

SEſami drach. IIII. *capitum alliorum drach.* II. *coturnicis ſalſæ carnis drach.* II. *opopanacis drach.* I. *excipe parietum gymnaſiorum ſtrigmentis, & collyrijs inde formatis utitor.*

Ad anguillas. CAP. XIIII.

SColopendræ marinæ drach. VIII. *ſquillorum fluuiatilium drach.* VIII. *ſeſami drach.* I. *excipe & utere.*

Ad mugiles marinos ineſcatio. CAP. XV.

FOlij malabathri pilulam unam, piperis grana decem, melanthij grana III. *floris iunci odorati, alij*

internæ

internæ partis parũ quid. Omnia trita miſceto, deinde medullam panis puri in uini Mareotici hemina una madefacito, aridaq́; eo excipito, unitisq́; ineſcato.

Alia eſca mugilum marinorum. CAP. XVI.

ARietis membrũ in ollam crudam mitte, & alia olla impoſita obtura, ut nullibi tranſpirationi ſit locus, & in caminum uitreariam mitte, ut aſſetur à matutino in ueſperum, & reperies ipſum molle redditum uelut caſeũ, ex eo itaq; ineſcabis.

Aliud probe faciens, & nihil aliud niſi perfectos mugiles uenans. CAP. XVII.

HEpatis thynni drach. IIII. ſquillorum marinorum drach. VIII. ſeſami drach. IIII. fabæ freſcæ drach. VIII. hamiarum crudarum drach. II. Trita hæc ſapa adſtillata excipe, & collyrijs inde formatis ineſcationis loco utere.

Prolatas nomine, obſonij præparatio, quo in unum conueniunt piſces in mari.

CAP. XVIII.

ACcipe teſtas ſiue patellas marinas III. quæ circa petras naſcuntur, & expreſſa ipſorũ carne, in teſtam ipſorũ inſcribe ſubſcripta, & è ueſtigio uidebis piſces in unum congregatos ut admireris. Sunt autẽ nomina Iao, ſabaoth, hoc nomine Ichthyophagi utuntur.

Ad mullos & ſcaros magnos, ut aquas accedant. Hoc propter celeritatem illecebræ nullus paruus piſcis accedit: compoſitio ipſa naturaliter ducit.

CAP. XIX.

PHlœni fluuiatilis carnis drach. VIII. lentis integræ torrefactæ drach. VIII. ſquillorum fluuialium drach. IIII. malabathri drach. I. trita hæc albumine oui gallinacei excipe, & collyrijs utere.

Ad magnos piſces, omniaq́ue marina, uelut glaucos, orphos, & quæcunque ſunt huiuſmodi. CAP. XX.

GAlli teſticuli cum nucibus pineis torrefactis ac tritis cõmittuntur, ita ut ſint teſticulorũ drach. VIII. nucum pinearũ drach. XVI. teruntur autem in farinæ ſpeciem, fiuntq́; collyria, quorum eſca piſces illectantur.

Ad murenas. CAP. XXI.

SYluri fluuiatilis drach. XVI. ſeminis rutæ ſilueſtris drach. VIII. adipis uituli drach. VIII. ſeſami drach. XVI. ex tritis collyria facito ac utitor.

Ad polypos & ſæpias. CAP. XXII.

SAlis ammoniaci drach. XVI. butyri caprini drach. VIII. terito, & collyria liquida facito, eaq́; ſeminibus aut linteis non fimbriatis illinito. Sic circum depaſcẽt & non diſcedent. Tu uero celeriter attrahe, & locuſtas ac murices & quæcunq; habes in ſcapham mitte.

Teſtudines & teſtacea ſic ineſcabis. CAP. XXIII.

SAlis ammoniaci drach. VIII. cepæ drach. I. adipis uituli drach. VI. ferramenta forma fabarum facito, eaq́; pharmaco illita admoueto, & ſponte ad odorem progredientur, ſeq́; ipſa tradent.

Ineſcatio ad omnem piſcem omni tempore. CAP. XXIIII.

Nardi

NArdi celticæ folia IIII. cyperi unũ, ſmyrnij magnitudinem fabæ Aegyptiæ, cumini quantum tribus digitis prehendi poteſt, ſeminis anethi pugillum, tuſa ac cribrata in harundinem inde. Vſu uerò expetente, lumbricum ſiue inteſtina terræ ablue, & in uaſculum mitte, & ſoleam de loco humidam in manum exprime, & ex pharmaco quod ſatis eſt ammiſce, & adiectis lumbricis ad maſſam tere, & ineſca.

Ad tenuem gryten, quæ harundinibus capitur. CAP. XXV.

SQuillorum fluuiatilium chœnix una, maceratur garo ſincero coracinorum ſalſorũ, & ſic condita manet biduo, tertia inde ineſcabis. Operare autẽ duobus calamis, ſingulo quatuor hamos habẽte, habeasq; tecum auxiliarium unũ, & tantum piſcium capies ut nemo alius neque hypocha, neq; alio retis genere operans, te ſuperet.

Ineſcationes uniuerſales. CAP. XXVI.

Lente cum amylo ſicco trita & ammixta utitor.

Ad omnem piſciculum. CAP. XXVII.

COchlearũ carnẽ citra caudas accipe, & cum ipſa ineſcato, neq; magnitudine cochleæ abutaris.

De naſsis. CAP. XXVIII.

REtrimentum quod ab expreſſa myrobalano reliquũ eſt, ſtercus humanum, panem purum, ſingula ſcorſim terito, indeq; hæc tria ſimul miſceto, & in naſſam mittito, utitor & ſuccedet.

Aliud de naſſis. CAP. XXIX.

INeſcatio uelut ſcriptum reperi, Ichthyophagorũ qua piſcantur, Cape opercula ſiue teſtas & carunculas

y 5 in pe

in petris naſcentes, & cum his uenare.

Eſca mugilum marinorum, ſcarorum, mullorum. CAP. XXX.

SEpiarũ teſta cum ſiſymbrio uiridi, quod eſt muſcus, & aqua & polline, & caſeo bubulo mixta utere.

Scorpiorum ſolum. CAP. XXXI.

SCobem ligni mori & caunocinaræ, & ſandarachæ drach. VIII. cum erucis braßicæ quinque, ac frumento committe, ita ut frumentum tenuiter contundatur, & affuſa aqua cum reliquis miſceatur, fiantq; maſſæ quibus ineſcabis.

Pagrorum marinorum. CAP. XXXII.

MElanthij decoctum cum locuſtis & lumbricis tere, additoq́; polline frumenti & affuſa aqua ad mellis ſpißitudinem redige & utere.

Raphidum ſolum. CAP. XXXIII.

VItuli fel cum polenta oleoq́; & aqua in maſſas redige & ineſca, ex eodem etiam commanſo in aquam inſpue, & accedent ad te.

Thynnorum ſolum. CAP. XXXIIII.

NVces iuglandes ad cinerem exurito, & cum ſamſucho terito, & cum pane puro aqua madefacta, ac caſeo caprino in maſſas cogito, ac utitor.

Cerrorum. CAP. XXXV.

ALlium tritum cum pane, & caſeo uitulino ac caprino, & polline tritis, ſimulq́; mixtis, in maſſas redige, & locum ineſca.

Paſtinacæ marinæ. CAP. XXXVI.

HIrundinis fimum cum ſimilagine madefactũ ſubigito. Aliud

gito. Aliud: lactucæ ſemen coquito, affuſoq́; butyro et ſimilagine ſimul terito.

Salparum. CAP. XXXVII.

M*Vſcum uiridem ex petra in oleo coquito, eoq́; ineſcato.*

Glaucorum. CAP. XXXVIII.

A*M ias & pulchros, itemq́; aloſas aſſato, ipſosq́; exoſſato, & adiecto muſco, & ordei farina craßiore, naſſas facito, eisq́; ineſcato.*

Trachurorum Melanurorum.

CAP. XXXIX.

A*Sininum ſtercus in coriandri ſucco madefacito, & cum ſimilagine maſſas ineſcatrices facito.*

Mugilum, capitonum. CAP. XL.

P*Anem ex polline, & caſeum caprinum, & calcem uiuam miſce ſimul, tundeq́; ac marinam aquam affunde, collyrijsq́; inde formatis ineſca.*

Polypodum. CAP. XLI.

V*Ocarim, mormyros, aradas, circumligato, & ineſcato.*

Sepiarum ſolum. CAP. XLII.

F*Ecem uini ſine aqua cum oleo terito, & ad locũ progreſſus in mare mittito, ubi uidebitur ſepia atramentum dimiſiſſe, et progredientur in locum in quo apparuit oleum, & ſic ipſas prehende.*

Locuſtarum. CAP. XLIII.

M*Ormyrum ad robuſtum quiddam alligato, & purpuras numero decẽ terito, modicoq́; muſco ammixto, in petram exponito, & ſic prehendes.*

Melanurorum. CAP. XLIIII.

HEpar caprinum accipe, eoq́; hamos tuos ineſca. Si uero aliam quandam prædam in mari reperimus, itemq́; ad multos alios piſces, ungula caprina aut aſinina pro eſca uteris.

Garorum confectio. CAP. XLV.

GArum liculmen appellatum ſic fit. Inteſtina piſcium inijciũtur in uas & ſaliuntur. Parui item piſciculi, maxime Atherinæ, aut exigui mulli, aut mænulæ, aut lycoſtomi, aut quicunq; tandem parui uiſi fuerint, omnes ſimiliter ſaliuntur, & in ſole inueterantur frequenterq́; uerſantur. Poſtquam uero per calorem fuerunt inueterati, garum ex ipſis hoc modo tollitur. Cophinus longus imponitur in uas plenum prædictorum piſcium, influitq́; garum in cophinum, atq; ſic per cophinum percolatum, liculmen appellatum garum ſuſcipiunt. Reliquum uero retrimentũ alex efficitur. Bithyni porro ſic præparant. Accipis mænas, quæ quidẽ præſtant ſi haberi poſſunt, paruas aut magnas, ſin minus, lycoſtomos, aut lacertos, aut ſcõbros, aut etiam alecem, & omnium mixturam, immittisq́; hæc ipſa in alueolum panarium, in quo farina ſubigi ſolet, & additis ad modium piſciũ, ſalis ſextarijs duobus italicis, permiſces ut cum ſale contẽperentur, ſinisq́; per noctẽ unam, ac transfers in fictile, quod deopertum ad ſolem exponis ad menſes duos aut tres, & per interualla uirgis agitas, deinde ablatum & coopertum reponis. Quidam etiã uinum uetus adijciunt, ad modium piſcium ſextarios duos. Deinde ſi uelis ſtatim uti garo, hoc eſt nõ inſolare ipſum, ſed coquere, ſic facies. Muriam ſtillatitiam & excolatam

accipis ſic approbatam, ut coniectum in ipſam ouum innatet, ſi uero mergatur, nondum ſufficientem ſalem habet. Deinde in muriam piſcem mittis in olla noua, adiectoq́; origano ad ignem ſufficientem ponis donec coquatur, hoc eſt donec inceperit paulatim abſorberi. Quidam etiam ſapam addunt. Poſtea refrigeratum, iterum atq; iterum per colum tranſmittitur, donec purũ euadat, quod operto uaſe repones. Præſtantius porrò garum Hæmation appellatum ſic fit. Inteſtina thynni cum branchijs cruoreq́; ac ſanguine accipiuntur, aſpergiturq́; ſalis quod ſatis eſt, & in uaſe ſinuntur. Poſt menſes duos fermè uas ipſum perforato, effluetq́; garum hæmation appellatum.

FINIS.

INDEX EORVM, QVAE hoc opuſculo tractantur.

A

ACeti confectiones uariæ 162
Acetum ſcilliticum 164
ἀκρόδρυα quid 214
Adonidos fabula 229
Aegilops 63
Aequinoctia 12
Aeſtatis initium 12
Aetites 293
Agricola quomodo ſuã ſanitatem tueatur 65
Agricolis qui loci commodi 30
Agriculturæ laus & ſcriptores 3.4.11
Agriculturæ contẽptus 4
Agriculturæ quis commodus 30
Agricultura quos fabros requirat 67
Alicæ præparatio 74
Allij utilitates 256
Alucariorũ deſcriptio 294
Amianthos 293
Amurcæ uſus 58
Amygdalæ ut dureſcãt 70
Amygdalorũ plãtatio, inſitio, et cura 208. & ſeq.
Anatum nutricatio 283
Anethi uſus 258
Anguillarum captura 340
Animalium amicitiæ & diſſidia inter ſe 290
Anni diuiſio 12
Anni futuri tẽperaturæ indicia 15
Anſerum nutricatio 281
Antelunares dies 16
Apiati compoſitio 161
Apij ſatio & uſus 252
Aprili quid operis agendũ 71
Aprorum cũ camelis coitus 311
Apum cura, trãslatio, morbi et reges 293. uſq; 302
Aquæ inueſtigandæ ratio 31. uſq; 40.
Aquarum ſcaturigines 33
Aquarũ uitia quomodo emendanda 34.66
Aquæ campeſtres & mõtẽſes,

tenſes, quales 34

Aquæ quomodo, & quæ colligendæ 41

Aqua marina ut dulceſcat 66

Aradi fons 36

Arandi tempus 75

Arare quot bobus conueniat 53

Arbores q̃ uitibus aptæ 79

Arbores quando & quomodo plantandæ 106

Arborum inſitionis tempus & modus 214

Arbores quæ inſoliationi et inſitioni aptæ 216

Arbores quando purgandæ 219

Arborũ ſyderatarũ et aliâs uitiatarum cura 219

Arbores ne à uolatilibus impetantur ibidem

Arborum magnarum trãſplantatio 221

Arbores quæ ſemper uirent 224

Areæ præparatio 54

Armenicum quid 214

Arundo. uide harundo

Aſinorum educatio, admiſſio & cura 310

Aſparagi ſeminatio 248

Attagenum nutricatio 280

Auium uenatus 281

Auguſto quid operis faciẽdum 75

Autumni finitio 12

αὐχὴν quid 332

B

Balneorũ conſtructio 31

Balſami ſatio 235

Batrachium 38

Beſtiolarum uites infeſtantium cura 245

Betæ ſatio 245

Blattæ olerũ quomodo necentur 242

Boline uitis 105

Boum cura 312. uſq; 320

Braßica, & medela ex eadem 246

Braßicæ cum uite dißidium 102

Bruchi quomõ arcẽdi 262

Brumæ feſtum 12. 15

Bubulcus commodus 30

Bugone quid 293

Bulborum ſatio 259

Butomon

Butomon 381
Buxi plantatio 227

C

Camelorum cura 311
Camelopardalis 312
Cancrorum in aquis commoditas 33
Caniculæ ortus & effectus 18.20.46
Cannabis ſatio 61
Cantharidum arcendarum ratio 123. 272
Canthelijs præfectorũ officium 132
Canum educatio 330. uſq; 334
Caprarum cornua 82
Caprarũ hiſtoria 324.328
Caprarius aptus qualis 30
Capitonum ineſcatio 347
Caricæ ut durent 126
Carniũ omniũ ſalſura 337
Caſei faciendi modus 328
Caſtanearũ plantatio 210
Caucalidum uſus 258
Cella uinaria 126
Ceparũ plantatio, & uſus 257
Cera uino nocens 130
Ceraſiorũ plantatio & diuturnitas 203
Κεράσβολα ſemina 49
Cerrorum ineſcatio 346
Ceruorum natura 334
Charites arbores 225
Chryſanthemon 38
Ciceris ſatio 60
Cimices necantia 269
Cinararũ plantatio 259
Ciſsi fabula 235
Citrij plantatio 189.190
Citriorum conſeruatio 191
Coccymelum quid 214
Cœli regiones 115
Conditi præparatio 161
Coli præparatio 154
Columbarũ nutricatio, fertilitas, & quomodo tractandæ 273
Columbarij extructio & cuſtos 275
Contrariorũ appetentia in ſeminibus & terra 47
Conſtantinus Pogonatus 7
Conſtantinus magnus 10
Coracinos quomodo capias 340
Coronæ occaſus 45

Coronæ

Coronæ ex oleaſtro 165
Coſti ſatio 235
Croci plantatio & colle= ctio 234
Culices necantia 270
Cucumerũ & cucurbitarũ ſatio & cura, deq; mede lis ex eiſdem 248
Cucumerũ pulices 250
Cupreßi hiſtoria & plantatio 226
Cydoniorum plantatio & durabilitas 198
Cyparißi 226
Cyperus 38

D

Damaſcenorũ plantatio & diuturnitas 202
Daphne Ladonis filia 224
Decembri quid operandum agricolis 78
Δειρὴ quid 332
Delphini exortus 20.315
Dendrolibani plãtatio 229
Dies ſilentis lunæ, illunes, & interlunares 28
Dies menſis 16
Doliorum locatio 126
Doliorum ſtructura 127
Doliorum illitio 131
Dolia uini quõ & quando aperienda 138
Domus quo loco ædificanda 30
Droſallus uitis 105

E

Ebrij ut rurſum ſobrij fiant 153
Ebrij qui facile 153
Ebrietas non ſolum ex uino ibidem
Echinus in gallinis 329
Electrum 292
Elephas 290
Equus à lupo læſus 290
Equorum tractatio & nutricatio 302
Equi admiſſarij deſcriptio ibidem
Equi generoſi iudicia 304
Equi morborum remedia 305. uſq; 310

F

Fabarum paleæ 220. 223
Fabarum ſatio 44
Fabarum propria, & conſeruatio 59
Farinæ diuturnitas 57
Februario quid faciendũ 69
Feles ne quid attingat 264

Ficuum plantatio 203
Ficorum inſitio 206
Ficus Theræa ibidem
Fons Aradi & Heracleæ Ponti 36
Fontes quādo & unde maxime augeantur 37
Formicæ q̃uo arceātur 267
Fornaces quomodo fieri debeant 31
Frumentum quomodo reddatur durabile 55.56
Frumētū ne infeſtetur à formicis,& q̃uo ꝓbetur 57
Fuci quomodo tollendi 301
Fungi ut proueniant 260

G

Gagates 293
Galaxiæ origo 232
Galli optimi qui 287
Gallinarum nutricatio 276
Gallinarum morbidarū uariæ curæ 286
Gallinaceos pullos citra gallinam excludere 279
Gallinaceorū pullorum educatio ibidem
Garorum confectio & genera 347
Glaucorum ineſcatio 343
Graculos q̃uo pellas 289
Grando quomodo abigatur 28. 115
Großi in ficis quādo ſuſpendendi 73
Grytis fluuiatilis captura 342. 345
Gypſationis modi 135

H

Harundinum plantatio 124
Hederæ hiſtoria & plantatio 235
Helices palmæ 188
Heracleæ ponti fons 36
Herculis leonem ſtrāgulantis pictura 62
Hercules quomodo deus factus 231
Hippuris 38
Hirudinē ſi quadrupes hauſerit, quomodo extrahatur 272
Hordeum.uide ordeum
Horrei conſtructio 55
Hortus 184
Horti conſtructio 238
Hortus uiridis & floridus fiat 240

Hydr

Hydromeli compoſitio 180
Hyemalis tempeſtatis indicia 15
Hyena 290

I

Ianuario quid operis faciẽdum 68
Ilicis plantatio 229
Illunes et interlunares dies 28
Incantamẽta ne noceãt 301
Inſoliatio arborum 216
Inſitionis ratio 70
Inſitio per terebrationem 88
Inſitio melior plantatio eſt 185
Inſitionis modi tres 214
Inſtitæ quid 254
Intuborum uſus 255
Io in uaccam mutata 233
Iouis duodecẽnium, et quid in ſingulis ſignis faciat 23. uſque 28
Iouis glans quid 214
Iridis Illyricæ plãtatio 233
Iuba Libyæ rex 295
Iugum quid 113
Iulio quid operis agẽdũ 74
Iunio quid operandum 73

L

Lactucæ ſatio & uſus 243
Lactis probatio 329
Lacus ſubtorcularis 125
Lapathi uſus 259
Lauri hiſtoria, ſatio & trãſplantatio 224
Laurus boni genij 225
Leguminum ſatio generalis 61
Legumina ut facile coquãtur 62
Lentis natura 48
Lentis ſatio 60
Lens Aegyptia ibidem
Lentiſci plantatio 228
Leo herba 62
Leo animal 290
Leporis natura 333
Leucothracia uitis 105
Λιβάδες 29
Ligna quando cædenda 16. 68. 75. 78
Lilij hiſtoria & plantatio 231
Lini ſatio 69
Locuſtæ quomodo abigendæ 261

Locuſtarum piſcium captura 347
Lora, Thamna dicta quomodo fiat 134
Luna quali ſit plantandum 16.17
Lunæ ſitus cognitio neceſſaria, & qualis 16
Lunaris ratio in plantatione 204
Lupus & homo 290
Lupus & ſcilla ibidem
Lupi quomodo arcendi 328
Lupi caudæ uis 326
Luporum captura 326
Lupini ſatio & natura 60
Lupini uſus 72
Lyræ occaſus 28

M

Magnes 292
Maio quid operis agendum 71
Malacociſſos 38
Malorum plantatio inſitio & cura 242
Maluæ utilitas ibidem
Mare cur ſalſum 35
Martio quid operandū 69
Matthæus Aurogallus 7
Medicorum propria 5
Melanurorū ineſcatio 346. 347
Melca quid, & quomodo fiat 330
Mellis tractatio & utilitas 300
Melopeponū plantatio 251
Menſibus ſingulis quid operis faciendum 68
Menſibus ſingulis quid ſerendum, iuxta clima Conſtantinopoleos 236
Mentæ uſus 253
Meſpili plantatio 213
Meßis tempus 54
Milij ſatio 60
Miſodulon 235
Monoſiri, gallinæ Aegypti 279
Montiū qui aquoſiores 34
Morborum uariorum medicinæ 305
Mororum inſitio & diuturnitas 213
Mugilum captura 340. 345.347
Mullorū ineſcatio 345
Murenarum captio 344

Murium domeſticorũ perdendorum modus 262
Mures arvales quomodo tollas 263
Muſcarum abactio 269
Muſtelas quomodo interimas 262
Muſti purgatio 78
Muſtum quomodo condendum 133
Muſtum ne ſuperfundatur, ut ſtatim fiat uſui, ut totum annũ duret, quomodoq́; experiatur an aqua ſit immixta 134
Muſto acceſcenti quomodo opitulandum 136
Myopis abactio 314
Myrapia pyra 217
Myrti hiſtoria & plantatio, eiusq́; baccarum diuturnitas 226. 227

N

Narciſsi hiſtoria & plantatio 234
Naſſarũ præparatio 346
Naſturtij uſus 254
Nectar roſam extinxit 230
Nitrum cum leguminibus ſerendum 62
Nuces Thaſiæ, uide Amygdalæ
Nucũ plãtatio & cura 210
Nucis inſitio 211
Nucis Põticæ depoſitio 212
Nucis auellanæ uis 267
Nux Pontica, baſilica ſiue regia, quid 214
Numidicarum nutricatio 381

O

Octobri quid operis faciendum 77
Oculi ne doleant integrum annum 231
Ocymum ibidem
Oenanthe 123
Oenomeli compoſitio 160
Oeſtri abactio 314
Oleæ hiſtoria, plantatio, cura, præſtantia 165. 166. 167. 169. 173. 224
Oleæ plãtatio p ramos 169
Oleæ folia ſolſtitio inuertuntur 166
Olearum ſcrobes quantum diſtare debent 169
Olearum planta qualis ſit, & quo

& quomodo fiat fertilis 124. 171
Oleæ putatio, & ſtercoratio & inſitio 150. 176
Oleæ fructus ne defluat 176
Olea elæoſtaphylos ibidem
Oleæ quando & quomodo legendæ 176. 177
Oleum turbidũ, aut in quod animalculum incidit, quo modo purgetur 180
Oleum Hiſpanico aut Iſtrico ſimile quõ facias 181
Olei omphacini præparatio 77. 176
Oleum citra oliuas 177
Olei odorati confectio 179
Oleum quomodo reddatur purum, curetur rancidũ aut fœtidum 179
Oliuarum lotio ex aqua calida 176
Oliuarum cõdit. 182. 183. 184
Oliuæ colymbades 283
Olerum plantatio 236
Oleribus quæ terra apta, eorumq; cultura 238. & ſeq.
Olerum diuerſorum uariæ medelæ 245
Operariorum numerus operi ruſtico qualis conueniat 64
Ὄπωρα quid 214
Ordeum quod ſementi aptũ 46
Ordei conſeruatio 57
Orobanche 62
Orobanches ſatio ibidem
Oua ut inſcripta, item magna fiant, & quomodo ſeruentur 285
Oues à lupo adeſæ 290
Ouiũ electio, ꝓbatio, pabulũ & cura 321. uſq; 326

P

Pagrorum, piſcium marinorum ineſcatio 346
Palearum nocumenta 55
Palearum uſus 111. 220
Palmæ ubi maxime proueniant 43
Palmarum plantatio, amor, fructus & germina 187. 188
Palmitis aporygis plantatio 106

Palorum

Palorum uſus 220
Paluſtrium locorum incom moditas 96
Pampinatio 65.76.112
Pampinatio quando debeat fieri 73
Pan corona pinea utitur 228
Panis ad frumentum æqui= libris expenſio quomodo fiat 58
Panis qui fiat iucundiſſi= mus 58
Panis clibanites, & furnis coctus 58.66
Paſtinacæ marinæ ineſca= tio 346
Paſtinare quid 82.107
Pauonum nutricatio 288
Πηγαὶ unde dictæ 36
Pelecinus 63
Pentaphyllon 38
Perdicum educatio, natura & uenatus 281
Perſicorum ſatio 192
Perſica ut ſine oſſe proue= niant 193
Perticarum uſus 112
Phaſianorũ educatio 280
Picationis tempus & mo= dus 128
Picis probatio & præpara tio 129
Pinus hiſtoria & plantatio 228
Piſciũ altura, captura & in eſcationes 338. uſq; 348
Piſcinæ ſitus 338
Piſorum ſatio 44
Piſtaciorum plantatio 191
Plantarum uiuiradicũ à ſar mento differentia 104
Plantarum hortenſium or= do, & quæ plantæ opti= mæ 184.185
Plantandi tempus 16
Plantarium quid 72.95
Plantatio quæ præſtantior 185
Plantarum cura 240.244
Pleiadum ortus 12
Pluuiarum indicia 13
Polyporum ineſcatio & captura 344
Polypodum ineſcatio 347
Porci piſces quomodo ca= piantur 342
Porri ſatio & uſus 258

Portulacæ uſus 260
Potus qui inebrient 153
Præoculationes 95
Praſocurides quomodo ne= centur 242
Procyonis ortus 20
Ptiſanæ præparatio 59.74
Ptolati ineſcationis præpa ratio 340
Pulices q̃uo tollas 270
Punicorum malorum plan= tatio, cura, & conſerua= tio 199
Punicæ mali uis 200
Punicæ mali inſitio 201
Putatio 65.109
Putatio ſima 105
Pyrorum plantatio & cu= ra 196
Pyrorum inſitio & diutur nitas 197

R

Racemus idem ut habeat di uerſos acinos 89
Raphani ſatio & uſus 252
Raphidum ineſcatio 346
Rapũ & eius ſemen ibidẽ
Ranæ ut taceant 272
Regiones cœli, item mari= timæ & fluuiales 95
Rerum naturales conſenſus & diſſenſiones 290
Rhodacenorum plantatio & inſitio 192
Rhodomelitis confectio 161
Ridicarum uſus 88
Roſæ hiſtoria 229
Roſæ quomodo odoratio= res fiant, neq; deficiant 230
Rubigo uites quando ma= xime infeſtet 115
Runcationis ratio 54
Ruris delitiæ 4
Ruſticæ rei cognitio 5
Rutæ plantatio 253
Rumicis, ſeu lapathi ſylue= ſtris uſus 259

S

Salamandra 293
Salicis plantatio 228
Salparum ineſcatio 346
Sampſuchi ſatio 235
Saoces mons 36
Sapæ optimæ compoſitio 161
Sarmẽta quæ inſitioni apta, & q̃uo ſeruanda 87.98

Sarmenta duo an unum tantum plantandum 103
Sarmentitij fructus 29
Sarritionis ratio 53
Sationis tempus 44
Scarabeo mors roſa 289
Scarorum eſca 345
Scillæ uſus 84
Scillæ flos 259
Scimbri ſeu ſiſymbrij uſus 258
Scorpij plagæ curatæ 267. 310
Scorpiorum eſca 345
Semina quæ ſingulis terris conueniant 44
Seminum fertilium notio et electio 46
Semina ſata ne lædãtur 47
Semina ut fiant fœcũda 48
Semina è longinquo allata ut fiant plantæ 221
Semina repoſita ut augeantur 57
Seminum inter ſe diſsidia 63
Sementis ſymmetriæ cognitio 49
Sementis tempus 77
Sepes quomodo parandæ 119. 120
Sepiæ captura 344. 347
Septembri quæ opera conueniant 76
Serenitatis prænotiones 13
Seridis uſus 255
Serpens 292
Serpẽtes quomodo abigantur 265
Serpentis morſus curatio 266
Siliquarum plantatio 213
Solis natura 27
Solſtitiorum partitio 12
Sophrone puella 225
Stellarum apparentium ortus & occaſus 20
Stemphyla, quid 133
Stercorationis utilitas, & diuerſitas ſtercorũ 49. 50
Stercoris præparatio 53
Stirps ne ulla à quoquam lædi queat 123
Surculi recẽtes cur non inſerantur 216
Suum domeſticorum tractatio

tatio 335.336
Suum ferarum morſum quomodo effugias 337

T

Tabani abactio 314
Tæniæ quid 254
Talpas quomodo tollas 264
Taurorum cura. uide boum & uaccarum 312.320
Taurus ferus 290
Tempeſtatum indicia 13
Terminthus quid 214
Terra quæ aquoſa 39
Terra quæ præſtantior 42
Terræ probatio 42.43
Terra ſalſa aut fœtida fugienda 43
Terra q̃uo manſuefiat 52
Terra uitibus apta 92
Teſtudines & teſtaceorum genus quomodo capiantur 344
Teſtudinis natura 291
Thamna q̃uo facienda 134
Thaſiæ nuces. uide amygdalæ
Thynnorum ineſcatio 346
Tonitruorum ſignificatio 17.21.22.
Torcularis ſtructura 126
Τράχηλος quid 376
Trachurorũ ineſcatio 347
Tragi præparatio 74
Trituræ tempus 76
Troximorum uſus 255
Turionum collectio 65
Turdi & turtures quomodo nutriendi 284

V

Vaccarũ cura 312. uſq; 321
Vaſorum uini præparatio 73
Vaſorum torcularium & uaſorum olei cõſtructio 125
Ventorũ nomina, quot ſint & unde ſpirent 21
Ventorum qui ſalubres, & qui noxij 31
Veris initium 12
Vermes in lingua boũ 326
Veſpa ne pungaris 243
Veſpæ ne uuas aut alios fructus infeſtent 86.302
Veſpertiliones fugãtia 269
Villici officia 63.64.97
Vindemiæ tempus 120.121

Vindemiationis præparatio 132
Vinitor aptus quis 30
Vinitoris officium 113
Vinum theriacum 55
Vinum ſcillinum & paluſtre 66
Vini tranſuaſatio 72.138
Vini bonitati cõferẽtia 100
Vini prouentus quomodo prænoſcatur 119
Vina quæ ſub dio, quæ ſub tecto habenda 137
Vinorum differentia ibidẽ
Vinum ut duret 137.144
Vini guſtandi tẽpus 139
Vinum an aqua mixtũ experiendi 140
Vinum quomodo ab aqua ſegregetur, quibus temporibus mutetur, & ne peruertatur 141.142.145
Vinorum durabilium aut ſecus indicia 145
Vini aceſcentis cura 147
Vinum per mare trãſuectũ ne peruertatur 148
Vini durabilis ꝓbatio 146
Vinum quomodo dulce & odoratum fiat 148
Vini colores quomodo mutes 150
Vinum polyporum 150
Vinum nouum quomodo facias uetus 150
Vinorum uitiatorum medela 152
Vinum ne oleat potus 152
Vinum ut diſsipetur, ibidẽ
Vini cupiditas quomodo ſedetur, ibidem
Vinum citra uuam 153
Vinum non ſolum inebriare, ibidem
Vini quod ſanum conſeruet uſque ad ſenectam compoſitio 154
Vini excolandi ratio 154
Vinorum confectiones uariæ, & nomina uaria 155 uſque 162
Violæ hiſtoria & plantatio 233
Violarum colores & oleũ ibidem
Vitis Aminæa & Surrentina 70.105

Vitis

Vitis Theriaca 67. 85
Vitium tranſplantatio 69
Vitium paſtinatio & putatio 77.78
Vitium foßio 72.108
Vites arboreæ ſiue arbuſtiuæ 79.82.94
Vites uiuiradices, & quomodo facile tranſplantētur 79.80
Vitis unguentaria 86
Vitium inſitio 86. 99
Vitis ceraſo inſita 87
Vites quales unicuiq; terræ conueniant, earumq́; poſitio 93.94
Vitium plantationis tēpus, & modus 96.99.101
Vitium pangēdarum qualia ſint ſarmenta 98
Vites non mixtim plantandæ 104
Vitiū generis differētia 105
Vitium culturæ modus 107
Vitium morbidarum cura 108 uſque 119
Vitium fertilitati conducentia 100
Vitium ſtercoratio 111
Vites ut dulce uinum proferant 123
Vitiferorum locorum differentia 136
Vitulorum caſtratio 314
Vuarum calcādarum ratio 132
Vuæ quæ diuturnæ 76.83
Vua myrtæa, præcox, ſerotina 83.84
Vua abſq; uinaceis 84
Vuæ ut uigorē uſq; ad uer retineant 86
Vuarum differentia 104
Vuarum maturitatis indicia 120.121
Vuis corruptis quomodo opitulandum 122
Vuæ paſſæ faciēdæ & conſeruandæ ratio 123

Z

Zerna 38
Zizanion 63
Zizyphorū plātatio & durabilitas 203
Zodiaci circuli duodecim domus 22

FINIS.



[illegible]

[illegible]

Nota che questo Libro è raro
e costa — — P.ⁱ 5.

E-18-3 [illegible]